



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn  
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones  
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

**Lugo, Juan de**

**Lvgdvni, 1666**

Dispvatio XXV. De Satisfactione, provt est tertia pars Sacramenti  
Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

pœnam debitam, probabile puto, posse aliquando eam passionem absque voluntate patientis habere talem effectum; quando scilicet, homo est in statu gratiæ, & Deus ad eum finem immitit tale genus flagelli. Nec Tridentinum loquitur de hoc genere soluendi; sed de satisfactione sola, quam dicit; posse fieri per ea flagella patienter tolerata. Nec etiam ex hoc sequitur virtus aliqua in flagellis similis Sacramentis ad expiandum debitum pœnæ ex opere operato. Nam ad tollendum debitum per veram passionem pœnæ debitæ non requiritur aliud, quàm pati verè pœnam debitam. Alioquin etiam pœna Purgatorij esset similis Sacramentis, cum se ipsa auferat, & extinguat debitum pœnæ. Alia verò est virtus Sacramenti, quæ sine solutione extinguit debitum per remissionem pœnæ. Unde minis propriè loquutus est Pater Vasquez, qui n. 6. Impugnans hanc satisfactionem sine actu patientis, infert, quòd flagella ipsa, & eorum passio remitteret pœnam: qui modus loquendi non est melior, quàm si diceret pœnam Purgatorij habere hoc, vt per eius passionem remittatur pœna debita: sicut, si diceret, solutionem debiti habere hanc virtutem, vt eo ipso remittatur debitum: quæ omnia in rigore sunt falsa: nam remissio significat extinctionem debiti absque absolutione: qui autem patitur totam pœnam, quam meretur, soluit totum, ergo non accipit remissionem pœnæ debitæ. Qui ergo solum dicit, posse per illa flagella satisfati hominem, ita vt id minis debeat pari in Purgatorio, quod hic, puniente Deo, passus est, non ponit vllam virtutem in flagellis ad remissionem pœnæ ex opere operato.

85. *Due conditiones requiruntur ad satisfactionem.*

Duas itaque conditiones requirimus, vt hæc flagella possint prodesse per modum satisfactionis. Primam, vt non extinguant maioris pœnæ debitum, quàm ab ipsis afferatur, omnibus pensatis: alioquin iam misceretur aliquid de condonatione, vel satisfactione. Secundum, vt à Deo infligantur in pœnam peccati: diximus enim, de rigore iustitiæ, Iudicem habere ius puniendi delinquentem pœna ab ipso Iudice imponenda, sine eo, quòd attendat ad mala, quæ aliunde delinquens sponte, vel necessitate passus est. Non soluitur ergo debitum pœnæ passionem cuiuscunque flagelli, nisi illud à Deo Iudice in eo titulo imponatur.

86. Obiiciunt primò: quia, si passio eius flagelli ex se sine voluntate patientis potest extinguere debitum pœnæ, posset etiam cum voluntate contraria, nempe, quando impatienter toleraretur, & cum resistentiâ: posset item in statu peccati; quia non minis posset homo tunc pati, quantum propter aliquod veniale iam prius quoad culpam remissum debebat.

Respondetur, si homo patitur cum impatientia, quæ sit mortalis, non extinguit debitum pœnæ per flagella temporalia, vt statim dicemus: si verò impatientia sit venialis, non repugnat ex se, quòd semel per passionem alicuius grauissimi mali soluat pœnam debitam pro alio veniali remisso quoad culpam: tunc tamen non debet dici simpliciter, quòd per passionem illam extinguat, etiam quoad partem, debitum pœnæ, quia ferè semper potius augebitur reatus, eò quòd plus pœnæ debebit de nouo propter illud peccatum impatientiæ, quàm sit illud, quod extinguitur per passionem materialem illius mali.

Ad illud verò, quòd additur de existente in peccato mortali, dicimus: eum pro eo statu nec satisfacere, nec etiam satisfati posse pro aliquo etiam reatu pœnæ relicto ex aliqua culpa veniali antea remissa. Ratio est: quia, dum est in eo statu pecca-

ti, & secundum præsentem iustitiam debet pro singulis etiam peccatis venialibus pœnam æternam propter coniunctionem cum morali, vt vidimus *suprà, disp. 19. sect. 2.* non potest ergo pœna temporalis huius vitæ extingui debitum pœnæ illius, quam peccatum mortale sua coniunctione meruit fieri æternam.

87. Secundò obiiciunt: quia passio huius vitæ non est comparabilis, nec proportionata cum pœna Purgatorij: ergo non erit sufficiens ad extinguendam illam, nisi ex dignitate, vel voluntate patientis habeat valorem moralem ad redimendam illam pœnam. Respondetur in primis, non excedi hanc pœnam ab illa excessu infinito: quare non apparet, cur pœna temporalis diuturnitate sua non possit æquivalere alicui parti intentionis, & acerbitatibus Pœnæ Purgatorij, ita vt si pœna illa futura erat intensa vt centum, fiat vt nonaginta propter annos triginta, quibus in hoc sæculo punitus fuit homo doloribus acerbissimis, & grauissima infamia. Deinde dato, quòd non posset propter improprietatem æquivalere etiam partialiter pœnæ essentiali; vt ita dicam, Purgatorij; poterit tamen æquivalere alicui pœnæ accidentali: v. g. grauissima, & iniuriosissima infamia, quam homo in hoc sæculo diu patitur; poterit bene æquivalere alicui infamiæ, vel tristitiæ accidentali, quam in Purgatorio debebat pati, atque adeò poterit ex Dei voluntate hæc pœna pro illa subrogari; & tunc, absque vllò voluntatis actu, posset satisfati pro aliquo reatu pœnæ accidentalis, quam debet.

## DISPUTATIO XXV.

De satisfactione, provt est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.

SECT. I. *Quomodo satisfactio sit pars huius Sacramenti; & an causet gratiam ex opere operato.*

SECT. II. *De effectu satisfactionis sacramentalis circa remissionem pœnæ.*

SECT. III. *An pœnitentia impleri possit in statu peccati; & quem effectum tunc habeat; & quid, si absque intentione impleatur.*

SECT. IV. *Quomodo, & qualem satisfactionem debeat Sacerdos imponere.*

SECT. V. *Quam obligationem habeat pœnitens acceptandi, & implendi pœnitentiam.*

SECT. VI. *Virum pœnitens ipse, vel vnus Confessarius, possit commutare pœnitentiam ab alio impositam.*

**D**E Satisfactione sacramentali aliqua diximus *suprà, disp. 12. sect. 2.* vbi vidimus, eam esse partem intrinsecam huius Sacramenti, vt constat ex Florentino, & Tridentino ibi adductis: explicuimus etiam, quomodo verba illa, quibus Sacerdos pœnitentiam imponit, sint pars Sacramenti, & aliqualis forma satisfactionis in aliquo sensu: quæ omnia repetenda non sunt in hoc loco, sed reliqua breuiter percurrenda.

## SECTIO I.

*Quomodo satisfactio sit pars huius Sacramenti;  
& an causet gratiam ex opere operato.*

1. **D**ubitat primò, an sit pars essentialis, vel solum integralis: nam Palud. *dist. 16. quest. 4.* sub *finem* dicit, esse partem essentialem: quia, licet ante satisfactionem detur iam Sacramentum, hoc inde provenit, quod Sacramentum hoc sit quoddam ens successivum, cuius pars habetur ante totam essentialiam: ut ante consecrationem calicis datur Eucharistia; non tamen tota: & ante omnes Vnctiones completas habetur Sacramentum Vnctionis.

Sed hic Auctor fortasse solum dissentit modo loquendi, solumque vult, quod ante satisfactionem, licet detur Sacramentum totalitate essentiali; non tamen totalitate integritatis. Modus tamen loquendi est improprius, nec idcirco debet appellari pars essentialis, nec debet negari, ante satisfactionem dari totam essentialiam Sacramenti, sicut homo absque digito dicitur habere totam essentialiam hominis, licet non habeat integritatem.

2. Certum ergo est, satisfactionem esse partem solum integralem huius Sacramenti: quod variis argumentis probavimus loco citato. Ex hoc autem oritur secundum dubium, an satisfactio, quando ponitur, causet aliquam gratiam sanctificantem ex opere operato; Prima sententia affirmat, quam tenent Caiet. *infra, q. 90. art. 2.* Sotus *dist. 17. q. 1. art. 2.* quos affert, & sequitur Suarez *disp. 38. sect. 2. n. 3.* & alij, qui assentunt pro se S. Thom. *illa q. 90. artic. 2. ad secundum.*

Probabilior tamen videtur sententia negans, quam tenet Paludius *dist. 14. disp. 1. col. 11. & dist. 16. q. 1. art. 1.* Pater Coninch *in praesenti, disput. 10. n. 94.* & eam videtur supponere Pater Valquez *supra, q. 84. art. 1. dub. 2. prope finem*, ubi solum tribuit satisfactioni effectum remissionis poenae: & clarè eam docet *q. 94. art. 2. dub. 5. n. 9.* & praepositus *q. 12. dub. 6.* & videtur esse sententia Sancti Thomae *in 4. distinctione 16. questione 1. artic. 1. questione 2. ad 3.* ubi proposito argumento, quod satisfactio non esset pars Sacramenti, si non conferret gratiam, cum Sacramenta novae legis gratiam conferant suscipientibus. Respondet, gratiam conferri ex proposito satisfaciendi, licet non conferatur ex satisfactione actuali, vel posse dici partem Sacramenti, quatenus per satisfactionem consequitur poenitens perfectum effectum gratiae, peccatum abolens: quia liberatur totaliter à reatu peccati. In loco autem *suprà* adducto pro sententia contraria videtur oppositum asserere: nam eidem argumento respondet, quod satisfactio confert gratiam, prout est in proposito; & auget eam, prout est in executione. Possent tamen haec verba explicari iuxta id, quod dixerat in alio loco, per satisfactionem acquiri perfectum effectum gratiae, scilicet, liberationem totalem à reatu peccati.

3. Undè constat, graviter excessisse Luitum Turrianum *in selectis, part. 2. disp. 31. dub. 22.* ubi hanc secundam sententiam dicit esse temerariam. Constat, cum non legisset loca Gabriellae Vasquez, in cuius verba irruerat, alioquin saltem ob eius reverentiam abstinuisset à censura sententiae probabilissimae.

Probatur haec sententia: quia Sacramentum Poenitentiae in tantum debet conferre gratiam ex opere operato, in quantum debet culpam mortalem,

quae secundum legem ordinariam nunquam tollitur absque infusione gratiae: satisfactio autem, quando postea ponitur, non significat remissionem culpae, sed poenae; imò supponit iam culpam remissam: ergo non est, unde colligamus, ipsam habere novam virtutem ad conferendam, vel augendam gratiam sanctificantem, haec enim non debet infundi ad tollendum reatum poenae: constat quippe per Sacrificium Missae, & per Indulgentias auferri reatum poenae ex opere operato, absque infusione, vel augmento gratiae: ergo, ut satisfactio habeat eam virtutem auferendi reatum poenae, non debet habere virtutem augendi gratiam.

Probat etiam solet ex aliis Sacramentis, in quibus numquam datur nova gratia, ab aliqua nova parte materiae Sacramenti, nisi opponatur nova forma, ratione cuius fiat novum Sacramentum partiale, ut contingit fortasse in Ordinatione Presbyteri, quando per collationem secundae potestatis ad absolendum datur illi nova gratia partialis, & in Extrema Vnctione, in qua aliqui volunt, quod in singulis Vnctionibus cum forma correspondenti datur nova gratia partialis. Ceterum per appositionem solum novae materiae non contingit dari novam gratiam, postquam iam Sacramentum causavit gratiam sacramentalem.

Hoc tamen argumentum non videtur efficax: quia, si aliquis vngendo infirmum diceret vnicam formam: *Per istam sanctam Vnctionem, & indulgentiam tibi Deus, quidquid peccasti per omnes sensus.* Et postea succussu vngeret sensus, daretur novus effectus, iuxta illam sententiam, in vnctione singulorum sensuum per appositionem novae materiae absque positione novae formae. Item, in Ordinatione Presbyteri, si Episcopus vnicam formam dixisset: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, & remittendi, ac retinendi peccata:* & postea traderet Hostiam, & calicem cum vino, ac deinde imponeret manus, videtur probabile, quod per singulas materias acciperet singulas potestates, sicut nunc, licet tunc non apponeretur nova forma post primam effectum. Sic ergo diceret aliquis, in Sacramento Poenitentiae vnicam formam sufficere, & adveniente postea nova parte materiae, datur nova gratia sacramentalis partialis.

Alij probant: quia, si satisfactio auget gratiam ex opere operato, posset etiam aliquando dare primam gratiam: nam, si aliquis post absolutionem peccasset mortaliter, & haberet attritionem tunc, quando implet poenitentiam; iustificaretur: nam Sacramenta, quae possunt conferre gratiam, possunt etiam primam gratiam conferre per accidens in attrito, cum iam non inveniunt obicem. Sed nec hoc argumentum efficax: quia illa doctrina universaliter sumpta mihi non probatur, eamque *tomò superiori* impugnavi. Quare, licet absolutio sacramentalis possit dare primam gratiam, quia per se instituta est ad illum effectum praestandum; de satisfactione tamen posset id negari; eo quod non sit per se instituta ad talem effectum. Potissimum ergo fundamentum nostrae conclusionis est, quod nullum sit fundamentum in Scriptura, Patribus, aut Conciliis ad illum effectum tribuendum satisfactioni sacramentali.

Hinc infertur obiter, satisfactionem hanc, sicut non confert gratiam habituales; ita nec conferre ex opere operato ius ad auxilia aliqua in ordine ad praeservandum hominem à peccatis, vel ad emendanda: quem effectum saltem illi concedendum dicit Pater Suarez *ubi supra, n. 3.* Sed confert Pater Coninch *numera 92.* Sed consequenter

sequenter videtur etiam negandum: quia Sacramenta non solent conferre ex opere operato ea auxilia, nisi quatenus afferunt gratiam habituales, ex qua oriuntur talia auxilia, & cum ordine ad illa, quæ solet dici gratia sacramentalis: unde perditam gratiam habituales, perditur etiam ius acquisitum per Sacramenta ad talia auxilia: & recuperata, recuperatur, ut probauimus in tractatu de Sacramento in genere, disp. 4. sect. tertia. Si ergo hæc satisfactio daret ius ad auxilia, daret etiam gratiam internam habituales, in qua illud ius fundaretur, sicut alia omnia Sacramenta id faciunt.

Contra hanc sententiam plura obijciuntur: Primò, quia hæc satisfactio est pars Sacramenti: Sed Sacramenta nouæ legis causant gratiam: ergo & hæc pars. Probatur consequentia: quia nihil videtur posse intrare ad componendum Sacramentum in ratione Sacramenti, nisi illud, quod componit illud in ratione signi sensibilis significantis practicæ gratiam; quidquid enim est extra hunc conceptum, erit etiam extra conceptum Sacramenti, ut Sacramentum est: sed satisfactio non constituit hoc Sacramentum in ratione sensibilis; tum, quia potest esse opus merè internum; tum, quia antecederet ad ipsam satisfactionem iam habuit Sacramentum sensibilitatem sufficientem ad significandam gratiam ex ipso collatam tempore absolutionis: ergo debet constituere illud in ratione causantis gratiam, alioquin non apparet, quomodo sit vera pars Sacramenti nouæ legis.

Huic argumento dupliciter responderi potest. Primò, satisfactionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ: & habere virtutem ad causandam gratiam simul cum aliis partibus, quando reperitur iam posita nam, si pœnitens impleat pœnitentiam inuinctam: antequam absoluitur, prope fieri potest, & olim frequenter fiebat, tunc satisfactio concurret simul cum confessione, & contritione ad gratiam sacramentalem, tanquam una pars materiæ: materia enim sunt actus pœnitentis, quibus dolet confiteri, & obedit in executione pœnæ Iudici, qui omnes actus per modum materiæ concurrunt simul cum forma ad effectum gratiæ sacramentalis. Quando verò satisfactio ponitur post absolutionem: tunc, licet secundum se iam non operetur gratiam, adhuc tamen dicitur pars integrans illud totum, Sacramentum, à quo producit gratia, & quæ habet virtutem de se ad concurrendum cum aliis, si non inueniret iam effectum positum ab aliis: sic enim aliquæ dicuntur partes in aliis Sacramentis, licet aliquando inueniant iam effectum productum: v.g. in extrema Vnctione dicunt aliqui, per primam vñctionem, quæcunque illa sit, produci effectum gratiæ, reliquis autem integrare, & perficere Sacramentum, licet non producant gratiam nouam. Item in Eucharistia, quando Sacerdos sumit Hostiam diuisam in duas partes, in sumptione primæ, accipit totum effectum gratiæ, & tamen secunda est etiam pars eiusdem Sacramenti integrans illam Communionem. Item, in Ordinatione Sacerdotis, si Episcopus imponat manus (quam impositionem esse materiam sufficientem, probauimus in tractatu de Sacramento in genere,) & profertens formam det etiam panem, & vinum, tunc porrectio panis, & vini erit pars integrans materiam Ordinationis, licet tunc inueniat iam effectum productum ab impositione manus, & forma prius terminata. Sufficit ergo ad hoc, ut aliquid sit pars integrans materiam, esse talem, quæ poneret cum aliis compartibus effectum, si non inueniret positum. Imò in forma sacramentali vide-

tur hoc ipsum reperiri: nam illa verba, *à peccatis tuis*, in sententia comuni inueniunt iam gratiam productam per priora verba, & tamen sunt pars formæ, & pars Sacramenti, & possunt producere gratiam, si proferrentur ante verbum, *absoluo*, v.g. diceret Sacerdos: *A peccatis tuis ego te absoluo*. Deinde, quando factio matrimonio inualido ob defectum consensus interni, postea reualidatur, iuxta probabilem sententiam, posito consensu interno coniugis ficti, potest contingere, quod ille consensus internus incipiat intrinsecè in tempore iuxta sententiam probabilem eorum, qui communiter dicunt posse actum voluntatis incipere in tempore intrinsecè: in quo casu totus ille consensus est pars Sacramenti secundum durationem temporis diuisibilis, cum nulla possit assignari pars prima, sed in quacunque assignata necesse sit esse aliquas partes durationis, ante quas Sacramentum habuerat suum effectum: & tamen omnes illæ dicuntur partes Sacramenti. Sic ergo posset satisfactio dici pars Sacramenti, etiam in eo casu, quando inuenit iam productum effectum gratiæ sacramentalis.

Secundò responderi potest facilius, satisfactio nem esse posse partem integram Sacramenti, licet ipsa non conferat gratiam: quia sicut remissio pœnæ, licet non sit gratia habitualis, nec ablatio culpæ est tamen quasi complementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ, sic satisfactio, quæ ordinatur ad tollendum reatum pœnæ, est complementum, & pars integrans Sacramentum, quod causat gratiam, & remittit culpam. Neque enim cuiuslibet patris integranti debet conuenire definito essentia: nam sanguis est pars naturæ humanæ, idè enim Verbum diuinum assumens naturam humanam, debuit assumere immediatè sanguinem, & tamen in veriori sententia sanguis non informatur anima rationali nec illi conuenit esse rationalem: sed est pars integrans naturam rationalem. Sic satisfactio, licet non conferat gratiam, est tamen pars integrans, & complens Sacramentum illud, quod confert gratiam, & ordinata ad hoc, ut illud Sacramentum habeat suum effectum perfectiori, & conuenientiori modo.

Hanc solutionem videtur indicare Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. ubi enumeratis tribus partibus in materia huius Sacramenti, contritione, confessione, & satisfactione, subdit eas *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentia partes dici*. In quibus verbis ex eo indicat, posse satisfactionem appellari partem Sacramenti: quia ex institutione diuina confert ad effectum Sacramenti plenius, & perfectius habendum. Eandem solutionem videtur etiam amplexus S. Thomas illa disp. 16. loco supra citato: & videtur planior ad hanc rem explicandam.

Secundò arguit Snarex: quia, si satisfactio fuisset iam exhibita tempore absolutionis, maiorem effectum gratiæ ex opere operato homo accepisset; esset enim magis, & melius dispositus: licet autem Conc. Trid. tempore sequenti fiat, moraliter tamen coniungitur cum aliis partibus, cum quibus facit vnum Sacramentum: ergo totum illud Sacramentum confert maiorem gratiam, arque adeo plus gratiæ dabitur posita satisfactione supra eam, quæ iam data fuerat. Respondetur tamen negando consequentiam, quia, si satisfactio præcessisset, non idè plus gratiæ datum fuisset: quia plures partes Sacramenti concurrerent ad illam, (hoc enim parum refert ad maiorem gratiam causandam,) sed, quia melior di-

positio

spofitio præcederet; satisfactio autem, quæ postea subsequitur, non potest iam reddere subiectum magis dispositum ad gratiam, quæ iam supponitur data: sicut alij actus boni, qui post absolutionem sequuntur, si præcessissent, disposuissent ad maiorem gratiam ex opere operato; & tamen quando subsequuntur, ad nullam gratiam ex opere operato conducunt. Quod autem satisfactio constituat vnum Sacramentum cum præcedentibus partibus, parum refert: nam partes, quæ post absolutionem, & eius effectum ponuntur, non augent effectum absolutionis præcedentis quoad gratiam; sed quoad aliquid aliud.

13. Tertiò arguit idem Suarez: quia hæc satisfactio non solum est in vindictam, & remissionem pœnæ sed etiam præcipue ad curationem, & medicinam ad quem finem, & effectum est maximè necessaria gratia: ergo credibile est, quod eam afferat ex opere operato. Respondetur, satisfactionem debere quidem imponi à Sacerdote ad finem curandi pœnitentem: ceterum non habet de se ex opere operato afferre talem curationem; sed solum remissionem pœnæ temporalis: si enim haberet ex opere operato hunc effectum curandi, qualibet pœnitentia esset proportionata cuilibet generi peccati; quod constat esse falsum: nam diuersis peccatis diuersæ pœnitentiæ, & medicinæ applicari debent, vt abstinentia curetur homo carnalis, eleemosynis avarus, &c.

14. Quartò arguunt alij: quia in absolutione reperitur aliqua remissio pœnæ cum remissione culpæ: ergo etiam in satisfactione cum remissione pœnæ inuenitur aliqua infusio gratiæ. Negatur consequentia: quia infusio gratiæ in absolutione affert secum necessariò remissionem pœnæ æternæ: remissio verò pœnæ temporalis non affert secum infusionem gratiæ, vt constat in Indulgentiis, Sacrificio, &c. Quando autem fit absolutio venialium, tunc credibile etiam est, intercedere semper aliquam remissionem pœnæ; quia etiam extra Sacramentum, quoties remittitur culpa, credibile etiam est, quod remittitur semper aliquid pœnæ: congruum enim videtur, quod minus puniatur ille, cui iam condonata est culpa, & cui minus auersus est Deus, quam ille, qui adhuc retinet maculam culpæ.

15. Quintò arguitur ex illis verbis Sacerdotis: *quid quia boni feceris, &c. sit tibi in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ*, &c. Ergo satisfactio etiã deseruit ad augendam gratiam. Respondetur, ibi etiã includi merita B.V. & omnium Sanctorum; quæ tamen, certum est, non augere gratiam in pœnitente ex opere operato. Illa ergo verba continent deprecationem Sacerdotis petentis, vt omnia illa eodem modo; quo singula conferre possunt, conferant ad omnes illos effectus; scilicet, vel impetratoriè, vel mediatiè, vel ex opere operantis, &c.

Sextò obijci potest, quod sumptio calicis in Eucharistia, iuxta probabilem sententiam; causat nouam gratiam post sumptionem Corporis; quia est noua pars Sacramenti: & idem est de collatione potestatis absoluendi data Sacerdoti post datam potestatem ad consecrandum propter eandem rationem: ergo idẽ dicendum erit de satisfactione, quæ est noua pars Sacramenti. Respondetur, negando consequentiam: quia illæ ita sunt partes Sacramenti, vt in se habeant rationem Sacramenti, atque adeo illis etiam est promissa gratia: nam bibenti Sanguinem Christi promittitur vita spiritualis; & quando datur potestas remittendi peccata, dicitur Sacerdoti: *Accipe Spiritum sanctum*, &c. at verò satisfactio non est Sacramentum; sed pars Sacramenti, cui secundum

se, nunquam est promissa gratia, nec nos debemus absque fundamento illum effectum asserere.

## SECTIO II.

*De effectu satisfactionis sacramentalis circa remissionem pœnæ.*

Supponimus, satisfactionem sacramentalem habere ex opere operato hunc effectum remissionis pœnæ: quod bene probat P. Suarez, *disp. 38, sect. 2, n. 2.* & P. Valq. *q. 94, art. 2, dub. 5, n. 8.* ex verbis supra adductis Trid. dicentis has esse partes Sacramenti pœnitentiæ: quia ad perfectam, & plenam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiritur. Cum ergo satisfactio non requiratur ad remissionem peccati quoad culpam; pertinebit, & requiratur ad peccati remissionem quoad pœnam, cum nihil aliud in peccato remitti possit. Secundo probatur hoc ipsum: quia hæc pars instituta est à Christo Domino, alioquin non posset esse pars Sacramenti: ergo ex Christi institutione, & potestate ab eo accepta Sacerdos imponit pœnitentiam: ergo habet potestatem ad faciendum, quod significat se facere significat autem potissimum, dum pœnitentiam imponit, se imponere illi loco pœnæ, quæ restat in Purgatorio soluendæ, seu ad finem expiandi à debito pœnæ; atque idẽ significat, se commutare pœnam Purgatorii in illam pœnam temporalem: cum ergo hæc commutatio, & hæc actio procedat ab habente auctoritatem, consequens est, vt nisi claus erret consequatur suum effectum liberandi pœnitentem à debito pœnæ Purgatorii per satisfactionem impositam auctoritate Christi.

Hoc ergo supposito, dubitatur primò circa illum effectum remissionis pœnæ, quem causat satisfactio, an qualibet satisfactio à Sacerdote imposita tollat omnem reatum pœnæ debitæ pro illis peccatis, quæ quis confessus est. In quare certum est, primò, quando pœnitentia iustas ob causas imponitur multò minor, prout sæpè expedit facere propter infirmitatem, aut impotentiam pœnitentis, & ne ipse exponatur periculo non implendi pœnitentiam; tunc, inquam, non tollitur totius pœnæ debitæ per illam modicam pœnitentiam. Secundò, certum videtur, quod qualibet pœnitentia, etiam minima, aliquid operabitur, contra aliquos, quos tacitè refert Suarez *disp. 38, sect. 2, n. 7.* qui id negabant, quando pœnitentia est minima, & improporcionata: falluntur tamen; quia illa pars, licet non correspondeat toti debito, correspondet parti ipsius, & per consequens pro ipso satisfaciens. Sicut, si Iudex reo criminis, cui debebatur triennium exilij, iniungat exilium semestris: satisfaciens illa pœna pro parte saltem pœnæ debitæ. Quod confirmari potest: quia commutatio voti facta à Prælate in rem inæqualem, valida est quoad partem correspondentem, manente solum obligatione supplendi, quod deerat ad commutationem æqualem, vt tradit Thom. *Sanc. lib. 4, de vot. 10, c. 5, n. 8.*

Dubium est, an si Sacerdos prudenter existimet, pœnitentiam æqualem esse ieiunium triplex, & illam imponat, liberetur pœnitens ab omni reatu pœnæ per illam pœnitentiam, licet reuera non fuerit æqualis; Affirmant plures, quos afferunt Suarez *ubi supra, sect. 5, num. 2.* & Valquez *quest. 94, art. 2, dub. 6.* quia Sacerdos est Index arbitrius: quare id, quod ipse prudenter iudicat, debet rarum haberi: si ergo eam pœnitentiam imponit, quam prudenter iudicat æqualem: iam absoluit virtute clauium à reatu totius pœnæ, quam

quam commutat in hanc satisfactionem, quam imponit. Et confirmari posset ex doctrina communiter recepta, quam sequitur Thom Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 7. num. 8.* quod, scilicet, dispensatio facta à Pontifice in voto, vel iuramento, quando dispensans indicat prudenter, esse sufficientem causam ad dispensandum, valida sit, etiam si reuera causa non esset omnino sufficiens. Idem argumentum fieri potest ex concessione Indulgentiæ, ad cuius valorem licet requiratur causa proportionata; si tamen talis causa prudenter existimetur subesse, licet reuera non sit, Indulgentia erit valida iuxta sententiam aliquorum, quam sequitur etiam Suarez *suprà, disp. 54. de Indulg. sect. 3. n. 11.* Ergo similiter remissio pœnæ, quæ per talem, vel tantam satisfactionem conceditur, valida erit, si prudenter existimetur æqualis, licet reuera non sit talis æqualitas.

19. Verior tamen videtur sententia negans, quam tenent Suarez, & Vasquez, *vbi suprà, P. Coninch. disp. 10. dub. 10. n. 90.* & alij Recentiores. Probatur primò: quia ad causandos alios effectus sacramentales non sufficit prudens existimatio Ministris, v.g. in absolutione non sufficit, quod Sacerdos prudenter iudicet, pœnitentem esse dispositum; nec ad effectum Eucharistiæ sufficit, quod prudenter aliquis existimet, se esse in gratia; & sic de aliis: ergo nec ad hunc effectum remissionis pœnæ sufficit, quod Sacerdos prudenter existimet, esse satisfactionem æqualem, si reuera non sit. Dico autem, æqualem, non mathematicè, (non enim requiritur talis;) sed iuxta regulam, & dispositionem divinam, qua Christus instituit, in hoc Sacramento tantam satisfactionem pœnitentis cum tali dispositione valere ad tollendum tantum reatum pœnæ temporalis.

20. Secundò probat Vasquez: quia non est credibile, relictum fuisse arbitrio Confessarii iudicium de æqualitate satisfactionis cum debito, ut ipse prudenter statuat, qualis debeat esse satisfactio æqualis. Ad hoc enim deberet scire, qua mensura puniantur peccata in Purgatorio, & quanta pœna correspondeat talibus peccatis, & qualis satisfactio sacramentalis huius vitæ correspondeat tantæ pœnæ Purgatorii: quæ omnia Sacerdos, quantumlibet doctus, prorsus ignorat. Deinde ignorat etiam, quem gradum dispositionis, & contritionis afferat pœnitens: unde pendet etiam quantitas pœnæ, quam debet: nam, qui est magis contritus, minus debet satisfactionis. Denique ignorat, quam dispositionem habeat; cum tamen melior eius dispositio sit causa, ut minor satisfactio valeat ad tollendum ex opere operato maiorem pœnam. Non ergo potuit, nec debuit relinquere Sacerdotis arbitrio hoc iudicium, quod ipse nullo modo poterat prudenter ferre.

21. Dices, ut quid ergo in Tridentino *sess. 14. capite octavo* in memoriam revocatur debitum Confessarii imponendi prudenter pro qualitate criminum salutares, & convenientes satisfactiones, si non pertinet ad Sacerdotem iudicium de æqualitate pœnitentiæ? Respondet idem Vasquez *ibi, numero sexto.* Sacerdotem debere considerare qualiter criminis, scandalum Ecclesiæ, exemplum, & terrorem aliorum, cautionem in futurum; ut iis consideratis, imponat pœnitentiam utilem ad eos fines, quantum pœnitentis fragilitas tulerit: in quem finem statuta erant olim certæ pœnitentiæ pro certis peccatis: has enim circumstantias potest Sacerdos prudenter ponderare; non tamen posse ipsum iudicare de æqualitate satisfactionis cum pœna Purgatorii debita

his peccatis ab hoc pœnitente, quam ipse prorsus ignorat.

22. Tertiò probare possumus: quia, si sufficeret iudicium prudens Sacerdotis de æqualitate satisfactionis cum debito pœnæ, ad extinguendum totum debitum; videtur etiam, quod sufficeret iudicium prudens Sacerdotis de convenientia satisfactionis impositæ in his circumstantiis, ut extingueretur totum debitum, etiam si sciret esse minorem. Itaque, si Sacerdos iustus de causis iudicat prudenter, non debere huic pœnitenti imponi pœnitentiam æqualem, propter infirmitatem, vel corporis, vel spiritus; illa satisfactio scienter minor imposita sufficeret ad extinguendum totum debitum. Sequela probatur: quia, quando reuera est minor, & iudicatur æqualis; tunc defectus suppleri debet virtute Sacramenti, & clauium, quas Sacerdos prudenter applicat, dum imposita illa pœnitentia, absoluit pœnitentem; sed similiter, quando imposita minori pœnitentia, quam solam prudenter iudicat esse nunc imponendam, applicat claves Ecclesiæ, & eleuat illam pœnitentiam parvam, & conatur absolvere pœnitentem, quantum potest: ergo supplet etiam totum defectum virtute Sacramenti, prudenter enim operatur, qui ab eo, qui non potest plus solvere, exigit id, quod prudentia dicitur esse exigendum, & reliqua condonat, & quidem Sacerdos non magis in priori casu iudicat, se condonare debitum pœnæ, si quod superest, quam in posteriori: in utroque enim vitur verbo, *absolvo*, quod significat absolutionem, & condonationem: ergo, si in secundo casu non soluit totum debitum; nec in primo dicendum est solui, nisi iuxta vires illius satisfactionis sacramentalis, & eleuare.

23. Quariò probari potest à priori, & simul redditur ratio differentie inter satisfactionem sacramentalem, & indulgentias, & dispensationem voti: quia, scilicet, Sacerdos in Sacramento per satisfactionem non remittit immediatè debitum pœnæ; sed applicat partem Sacramenti, quæ ex se habet virtutem ad operandum illum effectum: sicut, quando offert Sacrificium pro aliquo, non remittit ei debitum pœnæ; sed applicat illi Sacrificium, quod de se habet ex divina institutione talem virtutem; & quando baptizat adultum, non condonat immediatè pœnam debitam; sed mediatè, applicando illi Sacramentum, quod affert remissionem totius pœnæ; sic quando imponit pœnitentiam, non condonat immediatè illud debitum pœnæ; sed mediatè, applicando illi partem Sacramenti, seu faciendo, quod illud ieiunium sit opus sacramentale, atque adeò habens efficaciam in ordine ad talem effectum. Non ergo est in arbitrio Sacerdotis, augere, vel temperare activitatem illius partis sacramentalis: ad ipsum enim solum pertinet applicare causam, quæ de se ex Dei institutione habet talem, vel talem efficaciam.

24. Unde constat ad exempla illa de voto, & Indulgentiis: nam in primis in illis Pontifex non applicat aliquam aliam causam, quæ ex se sit remissiva voti, vel pœnæ; sed ipsemet immediatè remittit: quia, licet aliquando ad effectum Indulgentiæ exigat aliquod opus pium, illud tamen solum est conditio; qua posita Pontifex remittit tantum, vel tantum pœnæ debitæ: unde non mirum, quod ad eam distributionem acceperit potestatem Pontifex, tanquam dispensator, in quo requiritur solum prudens distributio: nam ibi facultas data est ad dispensandum, & distribuendum immediatè: in nostro autem casu facultas est ad applicandum Sacramentum, quod ex se habet

24.  
Differentia  
inter satisfac-  
tionem sa-  
cramentalem,  
Indulgentias,  
& dispensa-  
tionem voti.

habet talem virtutem. Adde, quod alioquin sequerentur multi scrupuli quoad valorem dispensationum, si non sufficeret prudens dispensatio. Denique est aliud discrimen ex secunda ratione *supra* adducta: quia, nimirum, potuit relinqui Pontifici iudicium prudens, & arbitrium circa sufficientiam causæ ad dispensandum, vel ad Indulgentiam: illa enim sufficientia non excedit cognitionem humanam; sed potest facile cognosci: non potuit autem relinqui nostro arbitrio iudicium circa æqualitatem satisfactionis cum pœna debita; quia hoc excedit nostram cognitionem propter rationes ibi indicatas. Data ergo veritate illorum exemplorum, quam tamen plures negant; adhuc non sequitur idem in nostro casu dicendum.

25. Hinc infero primò contra Sotum *dist. 20. q. 2. art. 3.* non habere minorem, vel maiorem virtutem ad compensandum pro maiori reatu pœnæ idem ieiunium, v. g. ex eo, quod debitum pœnæ sit minus; nam ex se non habet tantam, vel tantam virtutem ad tollendam pœnam vnus hebdomadæ, v. g. quare, siue ille pœnitens debeat viginti hebdomadas, siue vnâ solam; illud ieiunium auferet debitum vnus hebdomadæ. Infero secundo contra eundem, licet imposita sint tria ieiunia; si tamen debebat pœnam solam vnus hebdomadæ, v. g. pro qua posset vnus ieiunium satisfacere; satisfactorum etiam adequatè posito primo ieiunio, antequam impleat totam pœnitentiam: nam causa necessaria, qualis est sacramentalis, ubi primum applicatur, operatur secundum totam suam virtutem.

26. Secundo dubitari potest, vtrum melior dispositio pœnitentis conferat ad hoc, vt idem ieiunium impositum à Confessario satisfaciatur pro maiori debito pœnæ? Respondetur, certum esse, quod Sacramenta conferunt maiorem gratiam pro meliori dispositione, quam inueniunt, vt docet Trident. *sess. 6. cap. 2.* Vnde idem videtur dicendum de hoc effectu remissionis pœnæ, cum eadem sit ratio. Sed difficultas potest esse, an dispositio attendenda ad hunc effectum sit ea solùm, quam pœnitens habebat, quando absolutus fuit; an ea etiam, quam habet postea, quando implet pœnitentiam, quo tempore fortasse est melius dispositus, & habet iam maiorem gratiam habitualement. Videtur enim, solam illam dispositionem attendi debere, quæ erat tempore suscepti Sacramenti: tunc enim prolata fuit forma, & positum fuit Sacramentum; nunc autem solùm mandatur executioni sententia tunc prolata: non ergo debet attendi ad statum præsentem.

27. Verisimilius tamen mihi est, conferre etiam maiorem dispositionem præsentem, & maiorem gratiam, quam nunc habet; saltem, si sermo non sit de gratia; quam accepit per idemmet Sacramentum Pœnitentiæ; sed aliundè. Ratio autem est: quia nunc perficitur Sacramentum, quoad hunc effectum: dispositio autem tota, quæ reperitur, tunc quando perficitur Sacramentum, attendi debet ad maiorem effectum sacramentalem recipiendum. Si enim aliquis, quando incipit ordinari, habet dispositionem, vt duo; interim autem, dum forma profertur, augeatur dispositio, ita vt, quando absoluitur forma, habeat dispositionem, vt quatuor; gratia sacramentalis videtur danda iuxta dispositionem præsentem, & non solùm iuxta præcedentem; ergo similiter effectus satisfactionis dandus erit iuxta dispositionem præsentem maiorem: quia, licet forma fuerit antea prolata, materia tamen, quoad hanc partem, nunc applicatur: ergo nunc perficitur Sacramentum in ordine ad hunc effectum. Nec obstat sententiam fuisse antea prolata; quia sententia illa non præscripsit

tantam, vel tantam remissionem pœnæ; sed obligauit ad talem satisfactionem, & eleuauit illam ad totum effectum, quem posset habere, quantumcumque is esset.

Tertiò dubitatur, an si satisfactio impletur ante absolutionem, prout diximus fieri posse habere suum effectum tunc? Respondetur negatiue: quia vel pœnitens est adhuc in statu peccati, & tunc certum est, non posse accipere remissionem illius pœnæ temporalis in illo statu: vel pœnitens est in statu gratiæ; & tunc, si nondum sunt ei dimissa quoad culpam peccata venialia, quæ confitentur, non potest remitti eorum pœna ante absolutionem, quia pœna nunquam remittitur ante culpam. Denique si illa peccata sunt iam prius remissa quoad culpam per aliam confessionem, vel per contritionem, &c. & adhuc restat debitum alicuius pœnæ pro illis, adhuc non potest satisfactio habere suum effectum ante absolutionem: quia in nullo Sacramento datur effectus antequam ponatur materia, & forma; satisfactio autem secundum se est solùm in materia, quæ debet eleuari per formam absolutionis ad suum effectum operandum: in forma enim, vt dixit Trid. *sess. 14. cap. 3.* præcipua vis, & efficacia huius Sacramenti sita est.

### SECTIO III.

*An pœnitentia impleri possit in statu peccati, & quem effectum tunc habeat, & quid, si absque intentione impletur?*

Dubitatur, vtrum satisfactio, quæ postea impletur in statu peccati, habeat aliquem effectum? Prius autem quæri potest, an possit licite id fieri? Negatiua sententia videtur esse Archidiaconi *de pœnis, disp. 3.* nam præcipitur, vt medicina, & ad satisfaciendum pro pœna: & tamen ad nihil horum conducit, quando impletur in peccato. Tribuitur etiam Alensi *4. part. q. 85. membr. 1.* & videtur consentire ex parte Suarez *disp. 38. sess. 7. num. 7.* qui, licet concedat, fieri satis præcepto Confessarij per illam pœnitentiam; ex alio tamen capite dubitat, an sit licita, quatenus, scilicet, impeditur effectus sacramentalis per illam conferendus gratiæ habitualis, quam in eius sententia confert ex opere operato. Eandem sententiam tenet Barboza *in Collectam. Doctorum super Concilium Tridentinum, sess. 13. c. 8. n. 6.*

Verior, & communior sententia affirmat posse id absque peccato graui fieri. Ita Palud. *dist. 15. quæst. 1. art. 3. concl. 3.* Syluest. *verbo, Satisfactio q. 27.* Adrian. *4. quæst. 1. de satisfact. ad principale.* Caietan. *opus. 6. quæst. 2.* Soto *dist. 19. quæst. 1. art. 4. ad 3.* Palat. *dist. 15. quæst. 4.* & alij communiter, & videtur Sancti Thomæ *in addit. quæst. 14. artic. 2. ad 3.* Fundamentum præcipuum est: quia in alijs præceptis non est obligatio implendi ea in statu gratiæ; sed sufficit ponere substantiam præcepti: nam finis legis non cadit sub præcepto: ergo & in hoc præcepto imposito à Confessario satis est ponere ieiunium, vel eleemosynam ininstructam, licet non habeatur finis satisfaciendi. Confirmatur: quia alioquin, cui imponitur pœnitentia recitandi per totum annum singulis diebus Coronam; deberet singulis diebus ponere se in statu gratiæ ad dicendam Coronam, quod est contra vsum omnium fidelium.

Dices, hoc præceptum non esse de ieiunio, sed de ieiunio, quod sit pars Sacramenti: non potest autem

autem esse pars Sacramenti, nisi sit satisfactorium: nam pars Sacramenti est satisfactio: nec potest esse satisfactorium, nisi fiat in gratia. Respondetur, ieiunium etiam in peccato esse partem Sacramenti, licet non afferat illum fructum remissionis poenae: nam, ut sit pars Sacramenti, sufficit, quod sit poenitentia voluntaria imposita à Iudice, ad puniendum peccatorem, qui effectus iam obtinetur per ieiunium, etiam in peccato positum, ut notat Vasquez *quest. 94. artic. 2. dub. 5. num. 17.* Deinde, illud etiam ieiunium est satisfactorium: quia, sicut Sacramentum Eucharistiae in peccato susceptum est de se collatum gratiae, licet propter obicem eam non conferat: sic ieiunium iniunctum à Confessario est Sacramentale, atque adeo de se est remissivum poenae, licet propter obicem effectum non causet. Denique illud idem ieiunium postea oblato obice operatur suum effectum, ut postea dicemus: ergo erat satisfactorium ex opere operato.

Ad argumentum Patris Suarez, desumptum ex eo, quod ponitur obex effectui Sacramenti: Respondetur, satisfactionem non causare gratiam ex opere operato, ut *supra* diximus quando impletur post absolutionem: sed solum remissionem poenae: cui effectui apponere obicem non est peccatum graue: nam Sacrificium Missae fortasse habet eundem effectum, & tamen non est peccatum graue audire Missam in statu peccati.

Hinc infero primò, non esse admittendam limitationem aliquorum, qui dicunt, doctrinam traditam procedere de poenitentia, quae relinquit postea effectum permanentem, qualis est maceratio carnis relicta ex ieiunio; non verò de poenitentia, quae nihil tale relinquit, ut recitatio Coronae, &c. Ita Tabien. *verbo, Satisfactio, §. 9. & Viguier, cap. 16. §. 4. vers. 24.* Sed ex dictis constat, distinctionem hanc non esse necessariam: nam eadem ratio procedit in utroque casu.

Infero secundò, quid dicendum sit ad aliud dubium, an saltem sit peccatum veniale implere poenitentiam in statu peccati. Nam P. Suarez *illo n. 7.* dicit, id videri clarum: quia recipitur pars Sacramenti indigne, & ponitur obex eius effectui. Quod etiam affirmat Soto *vbi supra*. Non tamen inuenio sufficiens fundamentum ad id asserendum: nam illa pars Sacramenti non est collativa gratiae, ut diximus: ponere autem obicem effectui remissionis poenae, non arguit culpam venialem: alioquin etiam esset peccatum veniale audire Sacram in statu peccati, aut adesse in peccato benedictioni Pontificis, quando conceduntur Indulgentiae: quia ponitur obex simili effectui: quod tamen nemo concedit. Multò ergo minus debet id dici in nostro casu, in quo illud detrimentum postea refarcitur, cum, ablato obice, habeatur totus ille effectus, ut dicemus, quod in auditione Missae, & Indulgentiis non contingit. Praxis etiam fidelium hæc est: nam si alicui poenitentia detur recitare singulis diebus Coronam, aut dicere orationem breuem, quoties iurat: nemo dicit esse peccatum veniale non constituere se in statu gratiae, quoties dicit Coronam, vel illam orationem breuem, &c. Hanc itaque sententiam videtur tenere Petrus Soto *lib. 2. de satisfact.* dum absolute dicit, quod non peccat, & eandem tenent expresse alij docti Recentiores.

Infero tertio, opus illud iniunctum, non solum si fiat in peccato, esse partem Sacramenti: sed etiam si fiat cum peccato: ut, si quis oraret, v. g. vel daret eleemosynam ob vanam gloriam, vel etiam ob finem mortalem. Hanc tenet Vasquez *vbi supra*, P. Ioan. de Lugo, de Poenit.

n. 18. Et probatur: quia ad satisfaciendum aliis præceptis, sufficit etiam opus peccaminosum, ut per auditionem Missae peccaminosam satisfiat præcepto Ecclesiastico: ergo & ad satisfaciendum præcepto Confessarii sufficit simile opus, atque adeo erit pars Sacramenti: nam opus iniunctum à Confessario eleuatur per clausas, ut sit pars Sacramenti, sicut etiam matrimonium celebratum ob finem vanæ gloriæ, est verum Sacramentum, & confert gratiam, si non sit obex peccati mortalis.

Inferunt quartò aliqui, si opus illud à Confessario impositum, recitatio, v. g. fiat postea absque intentione implendæ poenitentiae, imò cum intentione contraria, adhuc satisfieri. Ita Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 17.* & alij. Unde inferit idem Sanchez *lib. 4. de voto, cap. 13. in fine*, si alicui Confessarius imposuit pro poenitentia ieiunium, vel eleemosynam disiunctim, & ipse dederit eleemosynam cum intentione non implendi poenitentiam per illam partem, sed ieiunandi postea, posse adhuc postea non ieiunare: quia reuera impleuit disiunctim, quod à Confessario impositum fuit, scilicet, ieiunare, vel dare eleemosynam.

Hæc illatio est contra Vasquez *trakt. de benef. c. 4. §. 1. art. 3. dub. 7. n. 117.* & aliunde aliquam videtur habere difficultatem: quia, licet ad satisfaciendum præceptis, & legibus sufficiat ponere opus præceptum, licet non adsit intentio observandi legem; in hac tamen materia satisfactionis Sacramentalis videtur ex alio capite requiri intentio, est enim pars Sacramenti: omnia autem Sacramenta exigunt in adulto, ut valide recipiantur, intentionem, & voluntatem recipiendi; alioquin non recipitur valide Sacramentum, ut cum communi Theologorum diximus *disp. 9. de Sacramentis in genere, sect. 7.* Ergo, cum satisfactio sit pars Sacramenti, non potest habere valorem in subiecto, non solum non consentiente, sed dissentiente, & resistente positivè per voluntatem contrariam, qua vult non recipere Sacramentum in illa actione.

Dices: Sufficit hunc hominem consensisse, quando accepit poenitentiam à Confessario. Sed contra: quia etiam, quando poenitens confitetur, habet voluntatem recipiendi absolutionem, & tamen, si post confessionem, ante absolutionem, habeat voluntatem contrariam, & intentionem non recipiendi absolutionem, vel non recipiendi eam illa die: non erit valida absolutio: quia confertur invito poenitenti: ergo eodem modo non sufficit voluntas præterita ad valorem huius satisfactionis, si hic, & nunc habet homo voluntatem contrariam, scilicet, qua vult non recipere in hac actione ullam partem Sacramenti.

Adhuc tamen probabile mihi videtur, non requiri intentionem in satisfactione, consequenter ad id, quod diximus *supra disp. 14. sect. 4.* vbi diximus, non semper requiri intentionem in suscipiente Sacramentum eo tempore, quo fiunt omnia, quæ component Sacramentum: unde dolor, qui est pars Sacramenti, potest haberi absque memoria præcedente recipiendi Sacramenti. Sic ergo dici potest de satisfactione: nam illa postea non fit à poenitente, tanquam à ministro operante nomine Christi: sed solum fit ex obligatione, & debito propter sententiam, & præceptum præcedens Confessarii: ad hoc autem ut fiat aliquid ex debito, & obligatione: non requiritur, quod fiat ex animo satisfaciendi illi debito. Et quidem per hoc præcisè, quod fiat opus impositum à Confessario nomine Christi, eleuatur illud opus ad effectum Sacramentalem causandum

per voluntatem Sacerdotis præcedentem. Quod confirmari potest: quia ille pœnitens verè satisfecit præcepto Confessarij: posuit enim ieiunium, quod præcepit illi Confessarius: ergo posuit totum opus præceptum: nam intentio non præcipitur: ergo postea non tenetur ad aliud ieiunium: ergo, etiam si ponat aliud, illud non erit pars Sacramenti, non enim est satisfactio Sacramentalis, nisi quæ ponitur ex præcepto Sacerdotis, non quæ ponitur ex mera deuotione. Vnde iam ille homo non posset perficere Sacramentum illud, quod videtur absurdum.

38.  
Satisfacit pœnitens, licet non recordetur pœnitentiæ impositæ, implendo.

Hinc infero à fortiori, quòd, licet pœnitens in hoc ieiunio non recordetur pœnitentiæ impositæ: adhuc satisfacit ieiunando ex deuotione, ex vi intentionis præteritæ non reuocata, quæ est intentio quædam habitualis: minus enim requiritur in suscipiente, quam in ministrante Sacramentum: quare, licet in ministrante non sufficiat voluntas merè habitualis; sed requiratur actualis, vel saltem virtualis, qua hic, & nunc operetur ex illo fine, & ex illa intentione; in suscipiente tamen Sacramentum hoc non requiritur, & idèd potest recipere Baptismum validè aliquis dormiens, vel amens, ex vi voluntatis præteritæ. Sic ergo sufficiet talis voluntas præterita non reuocata, vt recipiatur validè satisfactio Sacramentalis, etiam si daretur non satisfacere, quando est reuocata per contrariam intentionem.

39.  
An satisfacit in peccato, postea tunc, vel postea.

Restat ergo dubium principale *suprà* propositum, an satisfactio in statu peccati exhibita, habeat aliquem effectum ex opere operato: Prima sententia docet, nullum prorsus habere effectum; sed esse sicut opera bona facta in peccato, quæ sunt omninò mortua. Sic Dominicus Soto, Adrian. Ledesma, quos affert Vasquez in *presenti*, illo *dub. 5. n. 6.* Turrianus de pœnit. *disp. 38. dub. 3.* qui alios affert. Secunda sententia dicit, habere suum effectum statim, non obstante statu peccati. Ita Marsilius, Medina, & alij, quos affert, & sequitur Vasquez: quia remissio pœnæ non requirit infusionem gratiæ: potest ergo Sacramentum hoc operari, etiam in peccatore; si tamen peccata illa, quorum pœna tollitur, fuerint iam prius remissa quoad culpam, vt contingit in eo, qui benè confessus est sua peccata, & postea ante impletam pœnitentiam peccat mortaliter.

Denique tertia sententia media distinguit inter satisfactionem quæ relinquit effectum permanentem, qualis est elemosyna, ieiunium, &c. & eam, quæ nullum relinquit, vt oratio. De illa priori dicit habere effectum suum postea, quando tollitur obex: de hac verò posteriori negat. Ita Palud. Antonin. Syluester, quos affert Suarez *dist. 38. sect. 8. num. 4.*

40.

Communior & probabilior sententia docet, satisfactionem Sacramentalem in statu peccati non habere tunc suum effectum; sed postea recedente obice. Hanc tenent Caiet. Petrus de Soto, Victor. Nauarrus, quos refert, & sequitur Suarez *vbi supra*, num. 5. Palat. *dist. 15. quest. 4. conclus. 5.* Coninch *disp. 10. dub. 11.* Fagundez Petrus Fay, & alij, quos affert, & sequitur Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacramentis, resol. 85.* & Recentiores communiter. Prima pars conclusionis probatur: quia, si ille effectus tribuitur semel homini existenti in peccato, idem videtur dicendum de simili effectu proveniente in multorum sententia, ex opere operato, etiam ex Missæ Sacrificio: cur enim peccator audiens Missam non poterit tunc obtinere remissionem pœnæ illius peccati, quod iam prius dimissum fuerat quoad culpam? hoc au-

tem nemo concedit, vt fatetur ipse Vasquez *tom. in 3. part. disp. 231. cap. 7. num. 43.* & seqq. vbi id probat ex eo, quòd nullus existens in mortali potest luere pœnam temporalem debitam suis peccatis in hac vita, aut in alia, per vllam satisfactionem, aut satisfactoriem. Hinc enim (inquit) *reclè videtur sequi, Christum non instituisse hoc Sacramentum pro remittenda pœna temporali eorum, qui in statu peccati mortali sunt; quamuis nihil obflare poterit; quominus, si voluisset, ita illud institueret.* Quæ illatio eodem prorsus modo videtur procedere in nostro casu. Item, adduci potest exemplum Indulgentiæ, cuius fructus remissionis pœnæ non prodest existenti in peccato mortali; vt constat, licet ad illum participandum non requiratur noua infusio, vel augmentum gratiæ. Ratio autem vniuersalis eadem est: quia, dum aliquis est actus inimicus Dei, & reus æternæ pœnæ, non est subiectum aptum, cui remittatur aliqua pœna præsertim, cum secundum præsentem iustitiam quælibet pœna correspondens etiam culpæ mortali, vel veniali remissa, debeat esse æterna, vt suppono ex veriori sententia, & admittit ipse Vasquez: ergo non potest tolli per illa remedia, quæ solum ordinantur ad tollendum debitum pœnæ temporalis.

Secunda verò pars conclusionis, quòd, scilicet, ablato obice, satisfactio operetur suum effectum, probari potest, etiam vtriusmodi, ab exemplo eiusdem Sacramenti Pœnitentiæ, de quo diximus *suprà* cum communiiori sententia, habere suum effectum, etiam in ordine ad gratiam conferendam postea ablato obice, quando susceptum fuit validum, & informe: vnde credibile est, satisfactionem, etiam, quæ est pars eiusdem Sacramenti, habere eandem virtutem.

Dices, imò probari potest ab aliis exemplis, non dari postea talem effectum: nam Sacrificium Missæ, vel Indulgentia in statu peccati non emulant suum effectum, nec etiam postea ablato obice: quod idem contingit in Sacramento Eucharistiæ: qui enim illud suscipit in peccato, non percipit eius fructum postea, quando aufert obicem: ergo idem dicendum est de satisfactione Sacramentali. Respondetur, idèd oppositam sententiam esse etiam probabilem: hæc tamen videtur probabilior: quia magis ad rem videtur esse exemplum petitorum ab absolutione à culpa: nam, sicut Sacerdos absoluit à culpa: sic etiam mediante satisfactione Sacramentali condonat pœnam: ergo, sicut absolutio à culpa operatur postea suum effectum, ablato obice: sic dicendum videtur de condonatione pœnæ, quæ ab eadem potestate procedit. Et confirmari potest: quia, si post absolutionem validam, & informem impleatur pœnitentia imposita, postea ablato obice non solum Sacramentum confert gratiam: sed operabitur remissionem peccati: cur enim minus vna pars Sacramenti præteriti operabitur, quam alia? Ergo eodem modo pœnitentia impleta in statu peccati post absolutionem validam, & formatam, habebit effectum suum, ablato obice: eadem enim videtur esse ratio, cum eandem habeat efficaciam conscriptam in vtroque casu.

Fatemur ergo, non omnia Sacramenta, aut omnia media, quæ impediuntur peccato præteriti, operari postea suum effectum, quando aufertur obex. Cæterum, aliqua sunt, quæ habent eam virtutem, vt constat in Sacramento Baptismi, quod, recedente fictione, operatur effectum gratiæ: & remissionis pœnæ. Ratio autem differentie huius videtur

videtur esse, quoddam aliqua sunt, quae ex sua institutione habent frequentiam, & reiterationem, in quibus, etiam si nunc impediatur effectus, non multum refert, quia postea repetito illo remedio habebitur idem effectus. Tale est Sacramentum Eucharistiae, quod, cum sit panis quotidianus, ex sua institutione videtur asserere recuperationem suorum effectuum, cum repetendum sit frequenter ipsum Sacramentum. Similiter dicendum est de Sacrificio Missae in ordine ad suum effectum, & aliis similibus. Alia verò sunt, quae, si semel careant effectu, videtur iam defraudari intentio, quam habuit Christus subueniendi infirmitati humanae per haec media. Nam Baptismus, v. g. non potest iterum repeti: quare careret homo per totam vitam illo beneficio, & auxiliis consequentibus gratiam baptismalem. Peccatum etiam originale, & alia peccata commissi ante Baptismum, non remitterentur per Sacramentum illum in re, nec in voto; cum tamen Christus voluerit, omnia peccata mortalia remitti de facto per Baptismum, vel poenitentiam in re, vel in voto. Ideo oportuit Baptismi efficaciam manere suspensam, ut operetur postea, ablato obice, & homo fruatur semel saltem in vita illo Iubileo plenissimo per Sacramentum Baptismi: sicut solet Papa aliquando concedere Iubileum plenissimum omnibus fidelibus, ita ut si quis itinere, vel alio impedimento nunc detineatur; suspendatur gratia in tempus futurum, quod ablato illo obice, possit frui femel illa Indulgentia Pontificis. Sic etiam credibile est, Sacramentum Confirmationis in peccato susceptum, postea ablato obice operari suum effectum, ne homo careat per totam vitam effecta peculiari, & proprio illius Sacramenti: quod propter eandem rationem dicendum videtur de Sacramento Ordinis, Matrimonij, imò & Extremae Unctionis, quod in eadem infirmitate reiterari non potest, atque adeo maneret aegrotus absque effectu peculiari illius Sacramenti, quo maxime indiget in periculo. Hae ratio videtur cum proportionem procedere in Sacramento Poenitentiae: nam, licet hoc reiterari possit super eisdem peccatis ad maiorem securitatem, & magis perfectam remissionem: per se tamen, & ex sua institutione non affert hanc obligationem, nec postulat reiterationem: sed solum videtur postulare, quod semel asserantur peccata ad Ecclesiae iudicium, & semel proferatur sententia: semel autem iudicio habito, & valide prolata sententia non petit ex sua institutione reiterationem: quare, si sententia illa postea non haberet suum effectum, sequeretur inconueniens, quod peccata illa non remitterentur per se Sacramentum Poenitentiae, sed per contritionem, aut per aliud Sacramentum, per accidens: oportuit ergo, quod efficacia etiam huius Sacramenti maneret suspensa: quod si hoc de efficacia conceditur ad tollendam culpam: concedendum etiam videtur de efficacia ad tollendam poenam, quae connexa est cum illa alia: nec enim magis per se est reiterabile hoc Sacramentum in ordine ad poenam, quam in ordine ad culpam, atque adeo careret homo illo effectu in ordine ad hanc poenam per medium huius Sacramenti.

Ad exemplum denique illud de Indulgentiis, dici potest in primis, eas esse reiterabiles ex sua institutione, sicut Sacrificium Missae, & alia similia. Deinde concedimus, Indulgentiam etiam posse ita concedi à Pontifice, ut si homo tunc sit in peccato maneat eius effectus ad tempus futurum, quando primum sit in gratia: quia Pontifex, subsistente causa, quocumque tempore potest applicare

P. Ioan. de Lugo, de Poenit.

Indulgentiam: poterit ergo, sicut eam concedit hodie Petro visitanti hanc Ecclesiam, concedere eam Petro, tunc quando primum fuerit in gratia: sic enim aliquando concedi solet Indulgentia pro articulo mortis, proferendo nomen Iesu, ita tamen, ut si hic non sit vnus articulus mortis, referretur in verum articulum futurum: sic ergo posset concedi Indulgentia visitantibus hodie Ecclesiam, ita tamen, ut si hodie non sint in gratia, referretur in tempus, quo erunt in gratia. De facto tamen, an hoc modo concedantur, aliqui affirmant, ut Syluester verbo, *Indulgentia*, q. 6. part. 3. & q. 10. part. 9. Alij verò negant cum Nauarro in §. *In Leuit. notab. 31. n. 19.* quod videtur magis esse iuxta sensum fidelium, & iuxta intentionem Pontificis, qui, nisi aliud explicet, videtur, quod velit nunc fideles frui illo privilegio, quasi liberalitate, & munere praesenti.

Addit Pater Vasquez num. 13. opus satisfactionis Sacramentalis factum ob finem venialem, nullum habere effectum ex opere operato, nec tunc, nec postea: quia non habet talem effectum, nisi per modum satisfactionis: non est autem satisfactio, si non sit opus bonum, & placens Deo, mouensque ipsum, saltem de congruo. Consequenter tamen ad supradicta concedendum videtur, illam etiam satisfactionem habere suum effectum in homine iusto, vel postea ablato obice: ad hoc enim non attenditur bonitas operis: sicut Baptismus, etiam qui sit malus venialiter ex parte baptizantis, & ex parte baptizati, adhuc ex opere operato satisfacit pro debito poenae temporalis: nec enim attenditur ad bonitatem operis, sed ad Sanguinem Christi contentum in Sacramentis. Ad hoc autem, quod appelletur satisfactio, sufficit, quod opus ipsum secundum se sit poenale, & per illud possit poenitens puniri: hoc enim satis est, ut sit pars Sacramenti, ut constat, licet opus hinc, & nunc non sit honestum.

#### SECTIO IV.

*Quomodo, & qualem satisfactionem debeat Sacerdos imponere.*

**D**ebiturum primum, an Confessarius semper sub peccato mortali debeat poenitentiam imponere. Constat, excipi aliquos casus. Primus est, quando poenitens est impotens, ut si sit morti proximus, maxime si caret iam sensibus, & non potest poenitentiam impositam percipere. Addunt tamen aliqui, si infirmus habeat sensus, exponendum illi esse, quam poenitentiam mereatur, & imponendum, ut si conualuerit, eam impleat: quo sensu intelligunt textum in cap. *Ab infirmis*, 26. quest. 7. si conualuerit, impositum sibi à Sacerdote poenitentiam modum diligenter obseruet. Quae verba non possunt bene intelligi de poenitentia, quae postea imponatur, cum iam non liceat Sacerdoti loqui de peccatis illis cum poenitente. Addunt etiam aliqui, debere imponi aliquam poenitentiam praesentem, saltem parvam, quam etiam in illo articulo potest explere. Denique, si infirmus potest satisfacere per elemosynas: haec sunt illi iniungendae in poenitentiam.

Secundus casus est, quando Confessarius ex confessione, & aliis circumstantiis intelligit, poenitentem integrè satisfecisse pro poena debita: & licet raro, vel nunquam possit hoc constare: addit tamen Petrus de Soto *lect. ult. de satisfact.* satisfacere, quod probabiliter videatur satisfecisse: Tertius casus huic similis est, quem alij addunt

quando

quando absque satisfactione instat perfectæ remissionis remedium: v. g. si instet martyrium subeundum: quod alij extendunt ad Indulgentiam plenam lucrandam, saltem quæ sit moraliter certa. Quartus casus est, quando pœnitens ob suam fragilitatem nullam credatur acceptaturus pœnitentiam: aliquando enim oportebit condescendere eius imbecillitati ad vitanda graviora mala: nunquam tamen continget, quod aliquam, leuem saltem, pœnitentiam non sit acceptaturus.

49. Extra hos casus dicunt aliqui, semper teneri sub culpa gravi Confessarium ad imponendam pœnitentiam, ne relinquat Sacramentum mutilum, & imperfectum absque hac eius parte: quod videtur supponi in Tridentino sess. 24. c. 8. Ita indicare videtur Suarez disp. 38. sect. 1. in principio, & clarius Reginaldus in praxi. tom. 1. lib. 7. n. 12. Sed verius existimo, licet hæc obligatio sit ex genere suo gravis: posset tamen aliquando ex parvitate materiæ peccati solum venialiter contra ipsam: vt, si pœnitentia levis deberet imponi ob peccata aliqua venialia, vel sapientiam confessari tunc enim non credo, Sacerdotem peccare mortaliter, si secluso contemptu, non imponat vllam pœnitentiam. Hanc sententiam indicat Henriquez lib. 5. de Sacram. c. 20. n. 6. dum ait: *Extra hos casus sub mortali tenetur Confessarius in re gravi iniungere aliquam pœnitentiam de præcepto*: nam illa particula, *in re gravi*, excludit similem obligationem, quando res est levis. Clarius eam tenet Petrus de Ochagania de Sacram. tract. ult. de Sacram. pœnit. q. 8. num. 7.

Henric.

50. Probatur primò, retorquendo argumentum: quia, si obligatio hæc gravis esset, propter integritatem Sacramenti, sequeretur, ipsum pœnitentem teneri etiam sub peccato mortali ad imponendam pœnitentiam, etiam leuissimam, sibi impositam, ne Sacramentum maneret imperfectum: tam enim requiritur ad integritatem Sacramenti satisfactio re ipsa posita in executione, quam præceptum, seu impositio pœnitentiæ. Consequens autem est falsum, & ab omnibus negatur: ergo & Antecedens.

Secundò probatur: quia inter casus, quibus Confessarius excusatur ab imponenda pœnitentia numerari solet, quando scrupulosus sæpe intra horam redit cum novis peccatis, vt sæpe absoluitur: quem casum admittit etiam Henriquez *ubi supra*: tunc autem etiam maneret Sacramentum imperfectum absque illa parte integranti: ergo illa ratio non probat obligationem gravem imponendi semper pœnitentiam.

51. Tertio, quia Bonifacius VIII. vt refert Glossa in Extravaganti, Antiquorum, de pœnitentiis, & remissionibus, reprehendebat Confessarios, qui anno lubilei imponebant alias pœnitentias: ergo non curabat, quod Sacramento deesset illa pars integralis. Eodem modo, si infirmo moribundo imponatur pœnitentia solum implenda, si convaluerit; non videtur Sacerdos peccare mortaliter, & tamen tunc exponitur periculo evidenti Sacramentum, ne compleatur: nam per pœnitentiam solum impositam, & non exhibitam, non completur Sacramentum: ergo deberet sub mortali imponere aliquam pœnitentiam præsentem propter integritatem Sacramenti.

52. Ratio denique à priori est: quia hæc pars solum requiritur ad integritatem Sacramenti: eo modo, quo punitio requiritur ad complementum iudicii humani: hinc enim fit, quod si sicut in iudicio humano non manet iudicium imperfectum ex defectu punitonis, quando reus non indicatur pœna dignus, sic neque hoc iudicium, & Sacramentum manet

imperfectum ex defectu punitonis, & satisfactionis, quando pœnitens non indicatur dignus pœna. Ex hoc autem rursus sequitur, quod sicut in iudicio humano non peccat grauius Iudex non imponendo aliquam pœnam parui momenti, quæ reus erat dignus; sic nec in hoc Sacramento Iudex grauius peccet non imponendo pœnitentiam leuem, quam posset imponere: nam per hoc non deest muneris suo in re gravi: sed in complemento quodam levis momenti, quod deficit Sacramento ob eius culpam.

Dubitatur secundò, vtrum Confessarius possit imponere pœnitentiam absque præcepto, & obligatione: sed solum liberè, & de consilio implendam? Prima sententia affirmat, quam docent plures, quos refert & sequitur Suarez disp. 38. sect. 4. n. 1. Fagundes lib. de secundo Eccles. præcept. cap. 3. n. 11. Filiucius, & alij, quos affert, & sequitur Diana, tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 83. Secunda sententia dicit, non posse totam pœnitentiam sic imponi, posse tamen partem sub præcepto, & partem de consilio, & vtramque esse Sacramentalem. Hanc sequitur Henriquez lib. 5. de Sacram. c. 20. §. 6. & c. 21. §. 3. cum alijs, quos ibi affert.

Tertia sententia vetior negat, posse à Confessario imponi pœnitentiam eo modo, sed solum per modum præcepti. Hanc tenet cum alijs P. Valq. q. 94. art. 2. dub. 1. n. 9. P. Coninch. disp. 10. dub. 10. n. 64. Turrianus, de pœnit. disp. 35. dub. 2. & alij. Probatur ex Trid. illo c. 8. postquam dictum est, debere Sacerdotem pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutare, & conuenientes satisfactiones iniungere ad puniendam peccata. Adiungitur ratio: *Quia, scilicet, clauis Sacerdotum non ad soluendum, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent*. In quibus verbis supponitur, potestatem iniungendi pœnitentiam oriri ex potestate clauis ad ligandum, sed pœnitentia imposita per modum consilij non ligat pœnitentem, vt constat: manet enim liber, sicut antea: ergo illa non oritur ex potestate iudiciali. Ratio autem quia Sacerdos imponit pœnitentiam, tanquam Iudex vt puniat pœnitentem: Iudex autem non punit, nisi per coercitionem, qui obligat reum ad subeundam pœnam: imò nec dicitur proprie pœnitentia iniuncta à Sacerdote, quæ sub obligatione non imponitur: nam, qui pollicetur premium aliquid facientibus, non dicitur opus illud iniungere: nec Pontifex concedens Indulgentiam visitantibus talem Ecclesiam, dicitur ligare homines ad illud opus: pœnitentia ergo in arbitrium, & libertatem pœnitentis relicta non est ex clauibus, nec Sacramentalis.

Obiiciunt primò, quia concessa Indulgentia Pontifex eleuat illud opus per virtutem clauis, vt licet sit liberum, afferat remissionem pœnæ: ergo poterit etiam Sacerdos absque præcepto eleuare opera pœnitentis, vt sint satisfactoria: nam concessio etiam Indulgentiæ est actus iurisdictionis, licet non sit præceptum obligans. Respondetur, concessionem Indulgentiæ procedere ex potestate soluendi: at verò impositionem satisfactionis Sacramentalis procedere ex potestate ligandi, vt docet Tridentinum, nec enim vnquam in Ecclesia Sacerdotes agnouerunt in se potestatem relaxandi pœnas aliter, quam imponendo pœnitentias, quibus, vt Iudices, punirent peccata, nec agnouerunt duos modos diuersos imponendi pœnitentias, quare, vel negandum erit, eos vnquam obligare pœnitentem, quod dici non potest, vel sciendum est, semper ligare, quoties pœnitentiam imponunt.

Respondet Suarez illo n. 3. ligare etiam tunc Sacerdotem, quatenus, scilicet, necessitatem imponit non simpliciter, sed implendi pœnitentiam ad hunc finem

An ex scilicet  
re possit non  
esse ubi ratio  
hæc generat.

53.  
An possit  
poni pœnitentia  
sine illa  
gaudio.

54.

Conc. Trid.

Conc.

55.

Confessarius  
non potest  
grauiter  
peccare  
imponendo  
venialia.

finem consequendi remissionem poenae ex opere operato. Sed certe, si hoc est, ligare, etiam ligat Papa, dum concedit Indulgentias; etiam ligat, dum concedit privilegia, aut dispensat cum Religiosis: quod tamen in nullo sensu concedi potest.

56. Secundò obijciunt verba illa Sacerdotis, quae post absolutionem adiungit: *Quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*, quibus verbis videtur eleuare omnia opera poenitentis ad fructum ex opere operato. Respondeo, si hoc esset, eleuarentur etiam ad eum effectum merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctorum, quorum ibi etiam fit mentio. Quare debemus fateri, illam esse meram deprecationem, sicut & verba praecedentia: *Miserere tui*, &c. Et quidem ex se videtur esse parum credibile, quòd per illa verba generalia, omnia opera poenitentis mancant Sacramentalia. Quam absurditatem ut vitaret Suarez *sect. 6. in fine*, aduertit, illam virtutem extendi solum ad satisfaciendum pro peccatis in illa confessione confessis: quia de illis tantum fertur iudicium, atque adeò postquam illa fuerint plenè remissa, ille effectus cessabit. Sed haec limitatio adhuc non tollit omnino difficultatem: quia, licet postea ex defectu indulgentiae illa opera vltiora non causent remissionem poenae; adhuc verè sunt pars Sacramenti: sicut si alicui, qui nullam poenam debet, imponatur vnum ieiunium, verè illud erit pars Sacramenti poenitentiae.

57. Vnde non videtur probabilis doctrina aliquorum, quos affert Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. res. sol. 97.* qui excusant à peccato Confessarios, leues poenitentias imponentes pro grauissimis peccatis, quando addunt in fine verba illa: *Quidquid boni feceris*, &c. Certè, si haec doctrina vera esset, frustra Tridentinum grauissima illa verba vltimè *sess. 14. c. 8.* ad deterrendos Confessarios: *Debet ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesterit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutaris, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conuincant, & indulgentius cum poenitentibus agant, leuissima quadam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Certè hoc ingens periculum vno verbo addito vitatur, dicendo: *Quidquid boni feceris*, &c. Quem Sacerdotum vsum proferendi illa verba Concilium non ignorabat: non ergo videtur in praxi vilo modo admittenda illatio illa.

58. Tertio obijciunt: quia Praelatus aliqua praecipit non obligans sub culpa; sic enim per Regulas volunt aliquando obligare ad poenam, & non ad culpam: ergo Confessarius etiam potest imponere poenam de consilio, & non de praecepto. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod fortasse in rigore non est verum: in hoc casu non posse exco-gitari illam distinctionem: quia, si Confessarius non obligat ad culpam, non obligat etiam ad poenam: non enim imponit aliam poenam, si poenitentia non impleatur.

59. Hinc inferunt aliqui, licet Praelatus fortasse possit rem grauem praecipere sub veniali: non tamen posse Confessarium grauem poenitentiam imponere sub veniali: quia non obligat in persona sua; sed gerens personam Dei, & iuxta institutionem Sacramenti, cuius vim ipse Minister temperare non potest. Quae illatio confirmari potest ex Sacramento matrimonij, in quo non fieret, proculdubio Sacramentum, si contrahentes vellent se obligare solum sub veniali: nam institutio Sacramenti exigit obligationem grauem, iuxta capacitatem materiae: sic ergo institutio huius iudicij videtur exigere obligationem grauem, iuxta capacitatem materiae, *P. Ioan. de Lugo, de Poenit.*

ita ut sententia obliget reum, sicut in iudiciis humanis, scilicet, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiae, de qua agitur.

Dubitatur tertio, vtrum Sacerdos debeat imponere poenitentiam aequalem! Respondetur per se loquendo, debere. Itaque, si Sacerdos sciret, quantam poenam debeat poenitens in Purgatorio, & qualis poenitentia in hac vita illi poenae aequiualeat, illam deberet, per se loquendo, imponere. Quia tamen impossibile est hoc scire, arbitrari debet prudenter: in quo arbitrio obseruanda sunt verba Trident. *illo Conc. Trid. c. 8.* proximè allata, quibus statim addit: *Habeant autem pra oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad noue vitae custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad praeuentionem peccatorum vindictam, & castigationem.* Ex quibus verbis colligitur primò, hanc esse materiam obligationis grauis ex genere suo respectu Confessarij. Secundò, relinqui mensuram poenitentiae arbitrio, & prudentiae Confessarij. Olim quidem erant definitae certae poenitentiae pro certis peccatis, quae habentur in fine *Decreti*, de quibus est quaestio, an fuerint solum pro foro externo, an etiam pro interno. Certum est tamen iam non obseruari: sed totum hoc relinqui prudentiae Confessarij. Tertio colligitur: in hoc iudicio attendendum etiam esse ad vires poenitentis, & eius facultatem: nec enim pauperi imponenda sunt elemosynae magnae, nec infirmo ieiunia, & sic de alijs. Quarta, debet esse salutaris, & conueniens, hoc est, primo loco attendi debet ad utilitatem spiritualem poenitentis, ne scilicet, laquei ipsi iniiciantur, ut noua peccata committat. Ex hoc potissimum capite excusari potest hodierna praxis, qua leues poenitentiae imponuntur pro grauissimis peccatis: id enim saepe fit propter spiritualem infirmitatem poenitentium, qui grauioribus poenitentis scandalizabuntur, & vel confessionem fugient, vel certè Confessarios ineptos adibunt, qui eos curare nesciant. Denique in dubio inclinandum est in partem benigniorem, in qua est minus periculi: quam in oppositam: monendi tamen sunt poenitentes de insufficientia satisfactionis iniunctae, & consulendus est illis vltus Indulgentiarum, & aliquando imponendus, ut ea ratione suppleatur defectus propriae satisfactionis.

Dubitatur quarto, quae opera possint imponi? Respondetur opera satisfactionis communiter solere distinguere in ieiunium, elemosynam, & orationem, quae diuisio approbatur etiam in Catechismo Romano. Sed intelligenda est per reductionem quamdam latam, non strictam: nam omnes afflictiones corporis reducuntur ad ieiunium: opera vero misericordiae ad elemosynam, & denique ea, quae spectant ad cultum Dei reducuntur ad orationem. Syluester *verb. Satisfactio*, q. 8. notat, ex his optimam esse elemosynam, deinde orationem & postea ieiunium. Soto *distinct. 9. quest. 2. art. 3.* dicit esse optimum consilium imponere pro poenitentia elemosynam, in qua etiam oratio videtur contineri: quia pauperes excitantur ad orandum pro suo benefactore. Catechismus Romanus, in fine, de satisfact. praecipue dicit imponendam orationem pro defunctis, in qua includitur elemosyna acceptissima, & illi rursus pro poenitente orabunt.

Contra hoc tamen videtur esse, quòd oratio, vel alia opera facta pro defunctis non proderunt poenitenti ad satisfaciendum pro seipso, cum applicet satisfactionem suam defunctis, eo ipso, quòd pro illis offert illa opera: ergo non potest imponi pro satisfactioe Sacramentali aliquid faciendum pro defunctis.

Z z 3 defunctis:

defunctis: quod propter hoc fundamentum docent Vega in *Summa*, tom. 2. c. 64. cap. 4. & Ioan. Sancius in *Selectis*, disp. 15. n. 1. Contrarium tamen docet Turrianus de pœnit. 37. dub. 4. & in *Selectis*, centur. 3. Theologica, dub. 1. ubi oppositam sententiam dicit esse parum probabilem. Et quidem negari non potest, quod hoc sit magis iuxta sensum fidelium, & praxim Confessoriorum, quæ non est facile damanda: potest autem id tribus modis fieri. Primò, præcipiendo pœnitenti, ut impetrationem illius operis applicet pro defuncto: quo casu potest simul satisfacere pro seipso. Secundò potest Confessarius imponere poro pœnitentia, quod pœnitens applicet ieiunium pro defuncto, quo casu, licet ieiunij satisfactio applicetur defuncto: satisfactio tamen illius voluntatis bonæ, quæ pœnitens postea vult applicare ieiunium pro defuncto, non acquiritur defuncto; sed ipsimet pœnitenti: nam voluntas illa non offert se ipsam pro defuncto: sed actus sequentes, quos habet pro obiecto: quare potest Confessarius contentus esse, quod pœnitenti acquiratur satisfactio, quæ resultat ex voluntate efficaci ieiunandi pro defuncto.

63. Tertiò, & magis vniuersaliter dici potest, non esse necessarium, quod satisfactio operis impositi, quam habet ex opere operantis, maneat apud ipsum pœnitentem, neque quod id intendat Confessarius, aut id præcipiat. Quod potest probari. Primò, quia pœnitens non tenetur illud opus exequi in statu gratiæ: sed sufficit, si in statu peccati impleat pœnitentiam impositam, quo casu per illud opus non satisfacit villo modo ex opere operantis: & licet postea ablato obice ponatur effectus ex opere operato illius satisfactionis Sacramentalis ut supra diximus: non tamen ponitur effectus, quem debuisse habere ex opere operantis: ergo Confessarius non obligauit ad illum effectum, nec illum intendit.

64. Secundò potest probari hoc ipsum exemplo Indulgentiæ, ad cuius consequutionem potest Pontifex exigere opus aliquod factum pro defunctis, & concedere Indulgentiam ei, qui ieiunat, vel orat pro defunctis: quo casu illud opus, quoad satisfactionem, ex opere operantis applicatur defuncto: retinet tamen satisfactionem ex opere operato pro ipsomet operante. Cur ergo Confessarius non poterit hoc ipsum facere? Tertiò probari potest exemplo martyrij, in quo Martyr posset applicare satisfactionem illius passionis ex opere operantis pro aliquo vivo, vel defuncto: sicut potest applicare satisfactionem aliorum operum suorum: & tamen passio illa habebit apud Martyrem, quasi ex opere operato, expiationem totius pœnæ propter martyrij priuilegium. Poterit ergo similiter opus à Confessario impositum asserere pœnitenti effectum suum remissionis pœnæ ex opere operato, licet satisfactio ex opere operantis applicetur defuncto. Vnde non apparet, cur Confessarius non possit diuidere illos duos effectus: nam, licet imponat illam pœnam ad puniendum pœnitentem: hoc tamen re ipsa consequitur, cum non minus puniatur pœnitens, quando pro defuncto ieiunat: vel dat elemosynam: imò magis: cum non solum se priuet cibo vel pecunia: sed etiam se priuet satisfactioe sibi correspondente ex opere operantis!

65. Dubitari etiam potest, an possit Confessarius imponere in pœnitentiam, quod abstineat pœnitens à Communione aliquot diebus: de quo controuersia fuit annis præteritis, quibusdam id negantibus, quod latè defendit Ioan. Sancius in *Selectis*, disp. 33. per totam, ubi multa congerit: quibusdam verò affirmantibus: quos defendit Pater

Ferdinandus de Salazar tract. de frequent. Communionis, cap. 14. §. 1. Ex iis autem, quæ diximus disput. 17. de Eucharistia, facile respondere possumus: ostendimus enim, frequentem usum Communionis non esse rem ita determinatè bonam, ut non possit aliquando, & in aliquibus circumstantiis melius esse abstinere, quàm accedere, etiam si non sit conscientia peccati mortalis. Quod auctoritate, ratione, & exemplis latè probauimus. Cum ergo Confessarius possit præcipere opera honesta, & virtutum, in pœnitentiam: non videtur dubium in genere, & de possibili loquendo, quod possit aliquando præcipere pœnitenti, ut abstineat à Communione tali die: quando, scilicet, constat, melius esse tunc abstinere, quàm accedere, quod ex statu pœnitentis, & defectu reuerentiæ, & dispositionis colligi prudenter potest. Dum tamen illa omisso Communionis non sit occasio alius indicandi, quod à Confessario fuerit in pœnitentiam imposita, ne forte hac via cogere pœnitens suam Confessionem manifestare. Regulariter tamen non expedit talem pœnitentiam imponere, licet in casu rarissimo negandum non sit, quod possit vtiliter imponi.

Magis autem displicet, quod prædictus Sancius disp. 30. notat, quod sumptio Eucharistiæ, licet possit in pœnitentiam imponi, quia est actus virtutis religionis: non tamen tenetur illam acceptare pœnitens: quia non potest obligari ad acceptandum opus, quod adimplendum sit in statu gratiæ. Quod quidem si prædictus Auctor generaliter docet, quod pœnitens non tenetur ad accipiendam talem pœnitentiam, sed possit ad alium Confessarium recurrere, relicta confessione imperfecta: non ita displicet: de hoc enim postea videbimus. Quod autem dicat, id provenire ratione talis operis, quod cum exigit statum gratiæ ad sui executionem, videatur excedere Confessarii potestatem: hoc, inquam, omnino displicet: certum enim est, Ecclesiam posse præcipere Sacerdoti, ut aliquibus diebus celebret, aut audiat confessiones, ut ministret aliqua Sacramenta, quæ omnia fieri debent in statu gratiæ: quanto magis poterit Confessarius hæc præcipere, qui potest etiam actus internos in satisfactionem imponere, eò quod eius potestas non ardeat ad limites fori externi: Adde nihil magis commune esse, quàm imponere pro pœnitentia frequentiam Confessionis mensstruæ. v. g. cum tamen certum sit, non posse Sacramentum etiam Pœnitentiæ suscipi nisi in statu gratiæ, saltem in vitimo instanti, quo completè suscipitur Sacramentum: cur ergo ad Sacramentum etiam Eucharistiæ non poterit pœnitens à Confessario obligari.

Denique, an possit pœnitentia publica aliquando imponi pro peccatis publicis, vel occultis, videatur Suarez illa scilicet 6. & Vasquez q. 94. art. 2. dub. 2. res enim facilis est.

De opere interno, an possit imponi pro pœnitentia, diximus supra disp. 1. scilicet 2. ubi affirmantem partem elegimus, quam sequitur etiam Suarez disp. 33. scilicet 6. numero 2. Coninch disp. 10. n. 67. & alij Recentiores. Possunt etiam imponi opera aliàs debita ex præcepto. Si tamen Sacerdos id non explicet, intelligitur communiter loqui de operibus supererogationis, ut si imponat ieiunium, vel auditionem Sacri; præsumitur, velle ieiunium, aut Sacrum non debitum; nisi ex circumstantiis oppositum posset præsumi: aliquando consulendus erit Sacerdos propter dubium, ut si Ecclesiastico, qui debet omnia superflua dare pauperibus,

peribus, imponatur elemosyna, praesertim in magna quantitate. Videtur Vasquez in *presenti*, q. 94. art. 1. dub. 6. & alij plurimi, quos congerit Diana. 2. tom. tract. 4. de Sacram. resolut. 84. & tom. 3. tract. 4. miscell. resolut. 241. contra Nugnum in *Addit.* ad 3. part. q. 15. art. 2. diffic. 2. concl. 2. An verò omittens ieiunium debitum ex praecepto Ecclesiae, ut Confessarij, committat duplex peccatum in confessione explicandum, affirmat Coninch *disput.* 16. num. 68. Quod tamen difficultate non caret: nam duplex praeceptum non videtur addere malitiam specie diversam, cum utraque sit contra virtutem obedientiae. Credo tamen esse specie diversam in hoc casu: quia praeceptum Ecclesiae constituit illud peccatum in specie intemperantiae; cum praeceptum intendat honestatem temperantiae: praeceptum verò Confessarij intendit virtutem poenitentiae, seu satisfactionis pro peccatis, contra quam virtutem peccat, qui non implet poenitentiam sibi impositam.

## SECTIO V.

*Quam obligationem habeat poenitens acceptandi, & implendi poenitentiam.*

PRIMUM, & potissimum dubium est, an poenitens teneatur sub peccato gravi ad acceptandam, & implendam poenitentiam impositam. Tres sunt sententiae. Prima dicit, non esse obligationem acceptandi; esse tamen obligationem implendi acceptatam. Hanc tenent Scotus, Gabr. Ioan. de Medina Nauarr. Syluest. quos refert Vasquez *vbi supra* dub. 1. Secunda sententia dicit, neque esse obligationem sub mortali acceptandi, nec implendi acceptatam. Ita Caiet. tom. 1. *Opuscul.* tract. 6. q. 2. ad. 2.

Tertia sententia vera, & certa est, poenitentem obligari ad poenitentiam acceptandam, & implendam, quae obligatio ex genere suo est gravis. Hanc tenent Theologi communiter, maxime post Concilium Tridentinum: quare oppositam esse contra idem Concilium dicit Vasq. n. 5. & Victor. in *Summa* n. 209. Suarez verò *disp.* 38. sect. 7. n. 2. dicit temerariam. Alij dicunt periculosa; alij improbabilem, ut Henriquez *lib. 5. de Sacram.* c. 29. §. 2. Vnde non sunt audiendi aliqui, qui eam sententiam adhuc probabilem vocant, quos congerit Diana tom. 1. tract. 1. miscell. resolut. 51. & tom. 2. tract. 4. de Sacram. resolut. 51.

Probatur primò, & principaliter, ex verbis Tridentini *sess.* 14. c. 8. *supra* adductis, quibus dicitur, Sacerdotem debere imponere condignam poenitentiam, ne si leuem imponat, particeps fiat peccatorum poenitentis: quam satisfactionem curare debet, ut sit non solum in medicinam, sed etiam in vindictam, & castigationem: nam clauis non solum ad solvendum; sed etiam ad ligandum concessa sunt. Ex quibus verbis colligitur primò, poenitentem obligari ad poenitentiam: si enim ipse non teneretur eam acceptare, non peccaret Sacerdos, nec fieret particeps peccati poenitentis, imponendo leuem poenitentiam pro peccatis gravibus: faceret enim id, quod poenitens utens iure suo posset velle fieri. Colligitur hoc ipsum secundò ex ratione Tridentini: quia scilicet, Sacerdos habet potestatem ad ligandum: si autem poenitens non obligatur, Sacerdos non ligat, cum maneat poenitens aequè liber, ac antea.

Respondent aliqui apud Dianam *vbi supra*, posse quidem Sacerdotem ligare ad poenam eo modo, quo potest solvere à culpa. Sicut ergo non

potest solvere, nisi volentem solui; sic nec poterit ligare, nisi volentem ligari & acceptare poenitentiam. Sed contra primò: quia iam tenebitur saltem acceptatam implere. Contra secundò: quia ex verbis Concilij probauimus, obligari ad acceptandum: alioquin enim Sacerdos imponens leuem poenitentiam pro peccatis gravissimis, non fieret particeps peccatorum, cum id faceret ex consensu poenitentis non volentis ligari alijs poenitentis grauioribus; quem consensum etiam explicum posset Confessarius habere; quoties peteret. Contra tertio: quia, licet exigatur consensus poenitentis in Sacramento; non tamen potest velle absolui, & non velle ligari: quia potestas datur à Christo indiuisibiliter Sacerdoti, ut ferat sententiam: potest quidem poenitens non adire hunc Sacerdotem; non tamen potest diuidere eius potestatem, & velle illum Iudicem quoad vnā partem, & non quoad aliam. Alioquin posset etiam velle ligari praecepto Confessarij ad poenam, & non velle absolutionem; quod verò fieri non potest propter inseparabilitatem vtriusque potestatis: ergo nec poterit velle eum Iudicem ad absolvendum, & non ligandum. Vnde meritò Pater Vasquez n. 3. dicit magis consequenter loquutum fuisse Caiet. quàm alios, dum negauit omnem obligationem, etiam acceptandi: nam, si est potestas ad ligandum, debet esse etiam potestas obligans reum ad acceptandum: ergo, vel nulla est potestas obligandi, prout voluit Caiet. vel debet etiam esse potestas obligandi ad acceptandum; imò, in rigore loquendo, non requiritur acceptatio poenitentis, sed solum, quod se submittat Confessario in hoc tribunal: nam ex potestate iudiciali oritur posse praecipere, & ligare independentem ab alia voluntate subditi; sicut ceteri Iudices, eo ipso, quod Iudices sunt, obligant independentem ab eo, quod reus acceptet sententiam, nisi ubi datur locus appellatiōis, quae in praesenti dari non potest, cum sit supremum tribunal, & idem cum ipso tribunali Dei.

Secundò probari potest ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij dicente, satisfactionem imponendam secundum arbitrium Sacerdotis: & ex Concilio Salegustodiensi c. 18. in 3. tom. *Conciliorum*, & ex Leone Papa *epist.* 89. vel 91. & ex c. *Omnis viri* & *sexus*, de poenit. & remiss. ubi & confessio, & impletio poenitentiae eodem modo praecipitur: & ex c. *Ab infirmis* 26. q. 7. ubi dicitur, quod infirmus, si conualuerit, impleat diligenter poenitentiam sibi impositam; & ex Cypr. *sermone de lapsis*, ubi dure arguit eos, qui propter graua peccata leues poenitentias exigebant. Alia testimonia ex Patribus congerant Dominicus, Soto. *dist.* 20. q. 2. art. 2. Roffensis *art.* 7. contra Lutherum, & Bellarm. *lib.* 4. de poenit. c. 5.

Tertiò probatur ratione ex *supra* dictis, quia Sacerdos debet imponere poenitentiam, non maneat iudicium hoc incompletum, & imperfectum, ut diximus: ergo & poenitens tenebitur acceptare, & exequi sententiam: tam enim requiritur ad integritatem iudicij executio sententiae, quàm eius prolatio, ut constat. Deindè, de ratione iudicij est, ut reus teneatur obedire Iudici, & Iudex possit cogere, & coercere reum ad parendum, & subeundam poenam, ergo, si Sacerdos constitutus est Iudex in hoc Sacramento à Christo oportet ipsum habere vim coactivam, qua posset obligare poenitentem ad subeundam poenam impositam.

Hinc solui possunt facillè argumenta contrariae sententiae. Primò arguunt: quia homo potest

Z z 4 licitè

licité non satisfacere in hac vita pro pena temporalis; sed relinquere totam illam luendam in Purgatorio: ergo potest relinquere satisfactionem sacramentalem, quæ ordinatur ad extinguendum illud debitum. Respondetur, licet id ex natura rei liceret, non tamen supposita institutione huius iudicii, in quo, & ad eius complementum, & ad potestatem Iudicis spectat, quod reus exequatur penam impositam.

Arguunt secundo : quia sequeretur , hominem teneri ad acceptandam satisfactionem æqualem , & sufficientem pro extinguendo toto debito ; quod tamen esset durissimum . Respondetur , negando sequelam : quia supposita fragilitate hominum , & consuetudine rationabili , quæ propter illam fragilitatem iam est introducta : non esset rationalis talis penitentia : quare posset penitens illam , tanquam irrationabilem , & inconuenientem rejicere .

74.  
An sit hac  
obligatio sem-  
per gravis.

Hinc tamen oritur secundum dubium, an in aliquo casu ex leuitate materie hæc sit culpa solum venialis. Negat Ioannes Sancius in *selectis*, disp. 15. num. 14. Affirmant tamen communiter Theologi, v. g. quando omittitur, vel pars parua pœnitentie, vel tota etiam pœnitentia, quæ leuis est, vt si vnus Psalmus, *Miserere*, impositus fuit, & hoc quidem etiam si ob peccata grania fuerit iniunctus. E contra verò, quando propter sola venialia, vel mortalia prius confessa, imposita fuit pœnitentia grauis, an obliget solum hoc veniale? Affirmant non pauci. Vualdus de *satisfacti* n. 26. Nauatius c. 12. n. 43. Suarez *vbi supra*, n. 5. & alij. Verio tamen videtur sententia negans, quam tenet Henriquez lib. 5. de *Sacram.* c. 20. n. 3. Coninch *dicto* dub. 9. n. 81. Fagundez lib. 9. de 2. *Ecclesie præcept.* c. 3. n. 15. Nuñez *tom. 2. in part. 9. lib. art. 2. diff. 2. concl. 4.* Nam grauitas obligationis non videtur desumenda ex peccato, pro quo imponitur; sed ex materia, quæ præcipitur: nam pœnitentia leuis imposita pro peccato mortali non obligat sub mortali: si autem materia grauis, v. g. ieiunium imponatur pro multis peccatis venialibus, non apparet, cur non obliget grauius, cum oriatur à peccate Iudicis & res præcepta sit grauis, & capax præcepti grauis.

75. Dices : Hæc tota obligatio succedit peccato veniali , & eius obligationi , quæ tota erat levis : ergo succedit cum eadem leuitate. Sed contraria hæc obligatio , propriè loquendo , non succedit obligationi vitandi peccatum veniale , quæ erat levis : sed potius obligationi , & debito passivo patiendo pœnam temporalem , quod relictum fuit ex culpa veniali : hoc autem debitum , seu hæc obligatio non erat ad culpam grauem , aut leuem : sed ad pœnam. Et quidem erat obligatio grauis , hoc est , ad pœnam grauem : erit enim obligatio eiusdem rationis cum illa , quæ remanet ex culpa etiam mortali iam remissa ad pœnam temporalem , quæ obligatio commutatur in obligationem satisfactionis sacramentalis ; & potest contingere , quòd aliquis debeat maiorem pœnam temporalem propter multa venialia , quam alius propter mortalem culpam iam remissam : ergo , si satisfactio imposita propter culpam mortalem obligat grauius : eodem modo poterit obligare satisfactio imposita propter multa venialia , cum hæc etiam satisfactio succedat obligationi ad pœnam temporalem debitam , sicut illa.

76.

Constatumur primò : quia , si aliquis promitteret ieiunium ad finem hunc satisfaciendi pro suis venialibus ; votum illud obligaret sub mortali : ergo si ad eundem finem præcipiatur ieiunium à

Confessario, obligabit eodem modo gratia  
Confirmatur secundò: quia Prælati, si ad eun-  
dem finem præcipiet Iudicis ieiunium hodie-  
num, ut placaretur Deus offensu iudicis peccatis  
venialibus illud præceptum obligaret sub mortali:  
ergo præceptum Confessarii, qui est Superior,  
& Iudex legitimus, non aequè grauit obligabit,  
eum Confessarius præcipit ieiunium ad eundem  
finem?

Dices : Pœnitens non tenebatur sub mortali  
confiteri ea peccata : quomodo ergo ex illa con-  
fessione oritur obligatio sub mortali ? Respondetur,  
nec etiam pœnitens tenebatur sub veniali con-  
fiteri ea peccata : non ergo obligabitur etiam sub  
veniali ad implendam pœnitentiam : quod tamen  
tu non concedis. Dicendum itaque est, posse tamen  
exactione libera oriri obligationem ad aliud, quod  
ex ipsa consequitur. Quare, licet prior sententia  
propter auctoritatem illorum Doctorum sit proba-  
bilis, stando tamen in ratione hæc posterior vide-  
tur verior.

Dubitarum tertiò, quomodo intelligatur, quod dictum est, pœnitentiam teneri sub mortali ad acceptandam pœnitentiam: itane, vt non possit abique peccato graui relinquere confessionem ante absolutionem habitam, eò quòd noluit fubire talem pœnitentiam? Respondetur probabile mihi esse, posse id fieri abique culpa mortali, quod indicat Suarez *illa sect. 7. n. 4.* & amplectitur Pater Coninch *ubi supra n. 8.* quia non apparet, cur aliquis, postquam incepit confessionem, ex aliqua causa relinquere possit illam in aliud tempus, & nolle pro tunc perficere Sacramentum: sicut in matrimonio possit coniux post consensum expressum ab alio coniuge, non præstare suum: sicut ergo ex alia causa possit pœnitens nolle recipere absolutionem: sic possit ob metum obligationis subeundæ ad talem pœnitentiam: saltem in hoc non apparet culpa grauis: nondum enim contraxerat obligationem absolutam illius pœnitentie: nam, si post pœnitentiam impositam, & ante datam absolutionem Sacerdos moreretur, procul dubio pœnitens non obligaret ad pœnitentiam impositam: ergo non obligat præceptum Confessorij ante præstitam absolutionem: hanc autem potest pœnitens nolle accipere: ergo & impedire obligationem ad pœnitentiam.

Dices : Pœnitens possit implere pœnitentiam ante absolutionem, & illa esse vterq. satisfactio sacramentalis, ergo esset ex præcepto Confessorij ; nam satisfactio sacramentalis debet procedere ex præcepto Sacerdotis : ergo etiam ante absolutionem erat iam obligatio in ordine ad illam pœnitentiam ; imò posset Confessarius obligare ad pœnitentiam implendam ante absolutionem, provt aliquando factum est : ergo ante absolutionem habet auctoritatem obligandi absolute. Respondetur, in iis casibus satisfactionem esse ex præcepto Sacerdotis, non quidem ex præcepto obligante omnino determinatè, & absolute ad satisfactioem ; sed obligante in secundo quidem casu ad non recipiendam absolutionem impletam illam pœnitentiam, seu ad illam implendam priùs, quam absolutio impendatur, quando, nimirum ; præcipitur pœnitentia implenda ante absolutionem : in primo autem casu ex præcepto obligante ad illam pœnitentiam implendam indeterminate ante, vel post absolutionem, si absolutionem velit accipere ; quod sufficit, ut impleat etiam ante absolutionem sit ex præcepto Sacerdotis, & sacramentalis : si enim postea velit absolutionem recipere, iam eo ipso definit esse subditus

actus illius Iudicis, & per consequens cessat eius receptum.

Dubatur quartò, utrum pœnitens debeat per se ipsum pœnitentiam implere; an verò possit per alium? Duplicem sensum habere potest hoc dubium. Primus est, an propria auctoritate possit pœnitens substituere sibi alium, qui faciat, quod ipse iussus fuit facere, verbi gratia ieiunet, peregrinetur, &c. Secundus est, an saltem à Sacerdote possit ita imponi pœnitentia, ut per alium possit impleri.

In primo sensu multi affirmant fieri posse, saltem quando subest rationabilis causa, ut impotentia, vel melioris occupationis: vel, quòd ille alius propter minorem deuotionem melius exequatur illud opus; atque ita erit pœnitenti magis fructuosa illa satisfactio per alium. Ita Palud. *dist. 20. quest. 5.* Antonin. *3. part. tractat. 4. capite 20. §. 1.* Syluest. *verbo. Satisfactio, quest. 3.* Altiſiodor. *lib. 4. tract. 6. quest. 3.* Vnde immerito Suarez in *presenti, disp. 38. sect. 9.* supponit tanquam certum apud omnes Theologos non posse id fieri, quando determinatè ipsi pœnitenti imponitur satisfactio ab ipso implenda.

Verior tamen sententia negat id fieri posse, quam multis relatis tenet Suarez ibi: sed verè multi ex illis Auctoribus hanc partem non ita vniuersaliter amplectuntur. Probari autem potest primò ex Concilio Florentino, & ex Tridentino *sess. 14. c. 3. & can. 4.* ubi definitur partes materiæ in hoc Sacramento esse ipsius pœnitentis actus, nempe, contritionem, confessionem, & satisfactionem: ergo satisfactio, quæ est pars huius Sacramenti, debet esse actus ipsius pœnitentis, non alterius; sicut nec contritio, aut confessio alterius potest esse materia in hoc Sacramento.

Secundò probatur: quia in aliis præceptis non potest vnus pro alio implere præceptum, v. g. in audienda Missa, in ieiunio, in recitando Officio, & similibus; ergo, nec in hoc præcepto Confessarij, cum sit simile, imò habeat maiores causas ad exigendam actionem personalem, cum imponatur pœnitentia ad curationem huius personæ, & ad punitionem delinquentis, ut constat ex Tridentino *illo cap. 8.*

Tercio, si ieiunium alterius esset pars mei Sacramenti, videtur sequi, quòd, licet ipse sit in peccato mortali, acquireret mihi fructum ex opere operato: ad hoc enim solum requiritur status gratiæ in eo, qui recipit fructum Sacramenti, non in alio, ut constat in eo, qui contrahit matrimonium per procuratorem existentem in peccato; nam coniux adhuc recipit gratiam per illam actionem. Consequens autem videtur absurdum, quòd ieiunium hominis peccatoris sit satisfactorium tunc ex opere operato pro me. Alias rationes adducemus ad probandam conclusionem puncti sequentis, quæ hanc etiam à fortiori probabunt.

In secundo ergo sensu, quando Sacerdos id permittit, vel disunctiue imponit ieiunium, vel aliud opus, implendum à pœnitente, vel ab alio; multi dicunt, posse id fieri, illudque opus esse partem Sacramenti, & conferre fructum pœnitenti ex opere operato. Hos refert, & sequitur Suarez *ubi supra.*

Verior tamen videtur contraria sententia, loquendo de iis operibus, quæ sunt illius solum, quia ea exercet, ut ieiunium, auditio Sacri, preces &c. nam elemosyna, quam seruus dat ex imperio domini, procul dubio potest esse satisfactio sacramentalis domini. Hanc tenet Vasquez *9. 9. 4. art. 4. dub. 1. num. 10.* Coninch *disp. 10. n. 66. & num. 82.*

Probatur primò ex verbis Tridentini *suprà* adductis, quibus exigitur pro satisfactione actus pœnitentis: ergo ieiunium alienum non potest esse pars mei Sacramenti, cum non sit actus meus. Dices, illum esse actum meum, quatenus fit ex motione, vel petitione mea. Sed contra: quia tunc motio, seu petitiō mea erit satisfactio sacramentalis; non verò effectus ieiunij consequutus: nam in illo ieiunio possumus considerare duplicem moralitatem; vnā, quam habet à voluntate mea, à qua aliquo modo procedit: alteram, quam habet à voluntate ipsius ieiunantis. Et quidem, si prima moralitas consideretur, fatemur illud opus esse meum, sicut ieiunium equi, vel canis mei à me procuratum esset actus meus ob eandem rationem: quare, sicut ieiunium mei canis posset mihi præcipi, & imponi, (si procurare illud esset opus bonum; ) sic posset imponi mihi ieiunium Petri. At verò considerando moralitatem, quam habet à voluntate ipsius Petri; non potest dici actus meus, sed solum Petri: quare, ut sic, non potest habere valorem ex opere operato sacramentalem ad tollendum meum reatum.

Confirmatur: quia, quatenus fit à Petro, non fit ex præcepto Confessarij, cum Confessarius soli pœnitenti possit præcipere: ergo, ut sic, non potest esse satisfactio sacramentalis, quæ, prout talis, debet esse ex Confessarij præcepto, ut *suprà* dictum est. Fateor, posse Confessarium mihi imponere, quòd procurem ieiunium Petri pro me, ita ut ipso Petro reuera non ieiunante pro me, ego non maneam liber; sed debeam procurare ieiunium Pauli pro me: quo casu per ipsam actionem Petri ieiunantis pro me, ego manerem liber à procurando ieiunio Pauli. Ceterum, nec tunc etiam ieiunium Petri prodesset mihi ex opere operato sacramentaliter; sed sola mea actio procurandi illud ieiunium, quæ non minorem fructum afferret mihi, etiam non sequito ieiunio: quomodo autem Confessarius intendat vtilitatem illius ieiunij pro mea satisfactione, dicam statim, explicando, quomodo possit imponi pro pœnitentia, lucrari aliquam Indulgentiam.

Primò ergo argui potest contra nos ex hoc exemplo Indulgentiæ: nam Sacerdos potest imponere pro pœnitentia, ut pœnitens lucretur aliquam Indulgentiam, per quam applicantur satisfactiones Christi, & Sanctorum; & per quam non puniatur pœnitens: ergo eodem modo poterit imponere ieiunium alienum, licet per illud non puniatur pœnitens. Respondetur, posse quidem eodem modo imponi ieiunium alienum, sicut Indulgentiam, in neutro autem casu eleuatur virtute clauium ad maiorem valorem ieiunium, vel Indulgentiam; sed sola actio pœnitentis, qua procuratur ieiunium, vel Indulgentiam. Dices: ergo, etiam si non sequatur ieiunium alienum, vel Indulgentiam, satisfacet pœnitens non minus, quam si sequeretur. Respondetur, distinguendo de satisfactione; nam si sensus sit, non minorem fructum satisfactionis ex opere operato prouenientis ex virtute Sacramenti ipsum habiturum; verum est, si verò sensus sit, ipsum satisfacere præcepto Confessarij, ita ut ad nihil amplius teneatur; potest esse falsum: quia Sacerdos potuit dupliciter imponere illam pœnitentiam; scilicet, vel solum imperando procurationem ieiunij, vel Indulgentiæ, siue sequeretur, siue non sequeretur effectus; & tunc per meram procurationem satisfecit pœnitens, nec ad aliud tenetur: vel potuit præcipere procurationem efficacem, ita ut si forte non lucretur hanc Indulgentiam, procuret lu-

crari

crari aliam: aut si Petrus nolit ieiunare, procuret ieiunium alterius, & tunc non sequuto effectu, non liberatur ab obligatione procurandi iuxta præceptum Confessarii. Potest autem prudenter Confessarius iniungere aliquando tales poenitentias, licet ieiunium alienum, vel Indulgentia non eleuentur virtute clavium, nec sint satisfactio sacramentalis: quia, nimirum, iudicat, poenitentem indigere magna satisfactione, & aliunde propter eius fragilitatem, vel alia impedimenta non posse ipsi iniungi immediate totum illud, quare imponit illi aliquam partem, & rursus imponit ei, quod procuret iuvare satisfactione aliena, vel remediis Indulgentiarum, aut Missarum, ad supplendum, quod deest: quo casu eleuatur saltem illa actio procurandi, & simul providetur indigentia poenitentis per illa remedia extrinseca, licet illa non sint satisfactiones sacramentales.

85.

Secundò arguitur ex illo c. *Ab infirmis* 26. q. 7. vbi dicitur, non esse imponendam poenitentiam infirmo morti proximo: sed subleuandum ipsius pondus orationibus, & ieiuniis amicorum: ergo illa ieiunia pertinebunt ad illud Sacramentum ex impositione, & applicatione Sacerdotis. Respondetur, imò ibi insinuat, oppositum: dicitur enim, quod si infirmus conualuerit, poenitentia modum à Sacerdote impositum oblerat, quæ obligatio in ipsa etiam infirmitate, illi est declaranda, & intinenda: ergo supponitur satisfactiones amicorum non fuisse sacramentales; sed ad hunc finem postulatas, vt subleuaretur infirmus à debiti pœna, quo grauiatur, & cui per se satisfacere non potest; nec ad eum finem potest remedio sacramentalis satisfactionis adiuuari.

Tertiò obijci solet Sanctus Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. *quæstionibus* 3. vbi docet, prodesse satisfactionem per alium factam. Respondetur, ibi Sanctum Thomam non dicere, quod prodest ex opere operato, & sacramentaliter: sed quod prodest ad subleuandum debitum, quod nos non negamus.

86.

An per rati-  
habitionem  
vel consensum  
presumptum  
Confessarii  
posse alteri  
poenitentia  
committi.

Hinc infero primò, multò minùs posse poenitentem per ratihabitionem, aut consensum præsumptum Confessarii committere alteri poenitentiam sibi impositam: propterea aliqui volunt. Sed certè ratihabitio, aut consensus præsumptus si peteretur, in præsentem parum iuvat: ad satisfactionem enim sacramentalem requiritur, quod actio sit ex præcepto Confessarii, non sit autem ex eius præcepto id, quod ego scio præcipiendum, si ego peterem; hæc enim voluntas est solum conditionata, quæ in Sacramentis non potest influere. Adde, non excusari subditum ab inobedientia, eò quod sciat, Prælatum dispensaturum fore in lege, aut præcepto, si peteretur dispensatio; hoc enim modo frequenter possemus agere contra præcepta cum tali dispensatione præsumpta. Aliud quidem est, quando excusamur per epikiam: quia tunc iudicamus, hunc casum nunquam fuisse ab initio comprehensum sub lege, aut præcepto: at verò posito semel præcepto, dispensatio, vel consensus præsumptus, si peteretur, non sufficit ad excusandum. Videatur Suar. lib. 6. de legib. c. 7. & 8. & c. 13. n. 20.

87.

Quid de red-  
dito impoten-  
te ad poeni-  
tentiam sibi  
implendam,  
vel obliuif-  
cente.

Infero secundò, illum, qui redditus est impotens ad poenitentiam sibi impositam implendam, non teneri ad illam implendam per alium, etiam si commodè id facere possit: nam præceptum non fuit de procurando alieno ieiunio; sed de ieiunio proprio: quod cum non possit poni, cessat obligatio. Eodem modo, qui oblitus est poenitentiae sibi impositae à Confessario, manet liber ab obligatione illius præcepti, quandiu non recordatur, & Con-

fessarium consulere non potest, nec tenetur confessionem repetere, vt iterum poenitentiam accipiat. Quod quidem verum est, etiam si culpabiliter oblitus fuerit poenitentiae prioris: tunc enim satis erit confiteri peccatum illius negligentiae, & obliuionis culpabilis, vt rectè cum aliis obseruat Vasquez *quæst.* 94. art. 2. dub. 4.

Petes, an si alicui imposita sit poenitentia ieiunij duplici feria sexta sequenti, ipse autem oblitus fuerit; debeat postea ieiunare aliis duabus feriis sextis; an verò maneat liber à præcepto. Respondetur, communiter debere ieiunare postea: non enim est intentio Confessarii ita alligata ad talem diem, vt velit esse pondus illius diei, quo elapso maneat poenitens liber; sicut contingit in recitatione Officij, vel auditione Sacri: sed principaliter intendit satisfactionem; secundariò præscribit terminum diei, vt certius fiat, & non differatur ulterius. Vnde addunt aliqui, posse postea poenitentem ieiunare aliis duobus diebus extra sextas ferias: quia illa circumstantia videtur leuis.

Dubitatur quintò, quomodo possit poenitens grauiter peccare, differendo poenitentiam sibi impositam. De hoc sparsim inuenio pauca aliqua apud nonnullos Recentiores, ex quibus Thomas à Iesu in *tribunalis conscientiae tract.* 3. c. 2. dub. 9. *idiomate Hispano edito*, dicit communiter eiusmodi dilationem esse solum culpam venialem negligentiae, quando sine causa differitur: quando verò cum causa iusta, nullum esse peccatum. Rursus Antonius Fernand. in *instrucl. Confess.* p. 1. docum. 4. n. 5. & docum. 7. §. 1. num. 2. *Hispano etiam idiomate*, dicit, obligati poenitentem ad poenitentiam implendam intra spatium saltem vnus anni, si Confessarius minus tempus non præscripserit, vt colligitur ex c. *Omnia*, de poenit. & remiss. Denique Ioan. Sancius in *selectis disp.* 3. num. 9. dicit, non transgressurum præceptum illum, cui impositum esset confiteri intra vnum mensem, si per tres, vel quatuor dies ultra mensem confessionem differret, præsertim, si ex iusta causa: & idem dicendum, si ex voto teneretur: non enim aded mathematicè præfigendus est terminus. Imò, si intra octo dies à mense elapso sollemnis aliquis dies sequeretur, vel Iubileum, &c. posset differri confessio vsque ad illum diem, si ægrè poenitens ferret bis intra octo illos dies confiteri, vel Iubileum non lucrari. Rursus posset anticipari per octo dies ex causa Iubilei, vel sollemnitatis. Quod si per tres hebdomadas confessio anticiparetur, forte non satisfaceret, cum mens iubentis eò tendat, vt per mensem curet poenitens mundam habere conscientiam: certior namque experientia sumitur emendationis poenitentis per spatium vnus mensis, quam per hebdomadam. Hæc ille Auctor.

Distinguendum videtur: nam, vel Confessarius determinat tempus, vel non determinat. Rursus, si tempus determinat, potest tripliciter id facere: primò, ita vt opus alligetur ad illud tempus, & sit onus diei, vt si velit, singulis diebus recitari Coronam, vel ieiunari omni Sabbato in honorem Beatae Virginis: & tunc certum est, debere illa die poni opus præceptum, sicut ieiunium, vel recitatio Officij ab Ecclesia præcepta non potest differri ad sequentem diem, vel anticipari; sed debet eò die poni, quo præcipitur.

Secundò potest determinare tempus, vt terminum obligationis, hoc est, vt non differatur ulterius: sic Ecclesia præcipit confessionem annuam: id est, vt non ulterius differatur: & tunc obligat præceptum ad non differendum, & posita dilatione obligat rursus ad obseruandum illud postea data

data opportunitate. Tunc autem esse culpam letha-  
lem, ea die præfixa non implere votum, dixit Tho-  
mas Sanchez lib. 4. in Decalog. c. 14. n. 21. & n. 25.  
in fine. Sed durum id videtur, si dies illa solum, vt  
terminus obligationis posita sit: & non ob alium  
respectum. Nam, si tibi promisi intra hebdomadam  
reddere mutuum, & differam per duas horas post  
hebdomadam; non videor tibi graue damnum in-  
ferre, nec violare promissionem in re graui. Si ergo  
Confessarius præcipiat non differre confessionem  
vltra mensē, & differatur per vnā diē vltra  
mensē, non audeam illam dilationem condem-  
nare, vt mortalem.

91. Tertio potest determinare tempus, intendendo  
quidem frequentiam operis iniuncti, & simul  
alligando ad tale tempus; verbi gratia, vt singu-  
lis mensibus semel saltem confiteatur, vel Eucha-  
ristiam sumat; vt singulis hebdomadis recitet se-  
ptem Psalmos, &c. Et in his, & similibus credo,  
si materia sit grauis, non posse sine peccato graui  
differri vltra illum terminum, atque idē peccare  
grauiter, si intra illum mensē non confiteatur,  
vel accipiat Eucharistiam. Ratio est: quia ille,  
cui præcepta est confessio singulis mensibus, si  
vel vna die differret confessionem, & hoc toto  
mensē non confiteatur, sed prima die mensis se-  
cundi sequentis; planē non teneretur mensē tertio se-  
quenti iterum confiteri: quia præceptum est de  
vna confessione in vno mensē: quare, cum iam in-  
tra illum secundum mensē confessus fuisset, non  
teneretur ad aliam confessionem illo secundo men-  
se, atque ita duobus mensibus semel tantum con-  
fiteretur, quod est contra mentem Confessarii. Fa-  
tendum ergo est, in iis præceptis licet tempus as-  
signetur, vt terminus; vltra quem non differatur  
opus iniunctum, alligari tamen sub obligatione  
graui ad illud tempus, eodē quod dilatio præiudicium  
afferret materiæ præceptæ, vt vidimus, quatenus  
ex duplici confessione, verbi gratia redderetur vna  
si prior confessio extraheretur a suo tempore deter-  
minato.

92. Denique, quando Confessarius nullo modo de-  
terminat tempus, neque ex circumstantiis colligi-  
tur mens determinandi, (vt, si præcepisset ieiun-  
ium, vel orationem pro aliqua necessitate tunc  
occurrente,) sed præcepit opus indifferens ad hoc  
& aliud tempus tunc probabile satis videtur, quod  
dilatio, nisi sit nimia, & ad longum tempus, non  
sit mortalis. Ita in simili loquitur Thomas San-  
chez cum aliis dicto capite 10. numero 21. de re  
debita ex voto absque temporis determinatione:  
vbi notat bene, id intelligi in votis, vel debitis, in  
quibus ipsa dilatio non minuit rem promissam;  
nam, si aliquis vouit Religionis statum; quod plus  
differt ingressum, eodē minis reddit Deo, cuius ob-  
sequio promiserat totum tempus vitæ suæ: quod  
idem cum proportionē de penitentia à Confessa-  
rio iniuncta dici debet.

93. Vltimò dubitari potest, quomodo obligetur pœ-  
nitens ad circumstantias operis à Confessario ini-  
uncti: v. g. si impositum illi fuit, vt recitaret Co-  
ronam flexis genibus, vel coram tali imagine; an  
satisficiat, licet non flexis genibus, nec coram illa  
imagine recitari. Affirmat Vega in Summa, tom. 2.  
c. 64. cas. 6. quia attendi debet magis ad substan-  
tiam, quam ad circumstantias. De hoc tamen meri-  
tò dubitat Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 55.  
quia recitare flexis genibus videtur addere aliquid  
substantiale simplici recitationi. Distingue ergo  
possumus cum Thoma Sanchez lib. 4. in Decalog.  
capite 12. num. 8. vbi in simili de voto docet, quan-  
do res promissa est grauis, & circumstantia leuis;

vt, si quis vouit recitare coram tali imagine Beatæ  
Virginis, votum principale obligabit ad mortales,  
circumstantia autem, nempe, vt sit hæc imago spe-  
cialis, obligabit communiter sub veniali: quia com-  
muniter æquale, aut ferè æquale est Virginis ob-  
sequium; & idē leuis est mutatio illa. Posset ta-  
men aliquando esse culpa mortalis, eo quod cir-  
cumstantia sit multò maioris cultus diuini orando,  
v. g. coram tali imagine, propter multò maio-  
rem deuotionem, & populi concursum. Vnde eo-  
dem modo de circumstantiis à Confessario adiun-  
ctis dicendum erit, cum eadem sit ratio.

An verò liberetur pœnitens ab obligatione  
implendi penitentiam, quando non potest exe-  
qui circumstantiam à Confessario iniunctam: vt,  
si præcipit recitare coram tali imagine, vel in tali  
Ecclesia, quod facere non potest; eadem est quæ-  
stio, ac de voto, an propter impotentiam ad cir-  
cumstantiam liberetur vouens à substantia: quam  
quæstionem latè tractat idem Sanchez dicto lib. 4.  
cap. 14. à num. 24. vbi plures regulas assignat ad  
discernendum, an in eo casu fuerit intentio obli-  
gandi ad substantiam, cessante etiam circum-  
stantia, quæ omnes regulæ transferri possunt ad  
casum nostrum, & videri apud illum Auctorem  
ne quæstionem latè, & optimè ab eo tractatam, ad  
hunc locum, cuius non ita propria est, transferre  
cogamur.

## SECTIO VI.

*Virum pœnitens ipse, vel vnus Confessarius,  
possit commutare penitentiam ab  
alio impositam.*

94. Communis, & vera Theologorum sententia  
docet pœnitentem non posse propria aucto-  
ritate id facere. Contrarium docet Laurentius Por-  
tel in Addit. ad dubia regularia, verbo, Peniten-  
tia sacramentalis, num. 6. quod probabile dicit  
Diana tract. 1. miscell. resol. 53. tom. 1. sed alij om-  
nes oppositum supponunt, & probatur: quia rem  
præceptam à Superiore non potest subditus com-  
mutare in aliam; vt constat in aliis omnibus præ-  
ceptis. Dices: Potest, qui habet votum commu-  
tare illud propria auctoritate in aliquid euidenter  
melius, vt docet communis sententia in materia  
de voto: ergo, qui debet ieiunium ex penitentia,  
poterit etiam illud commutare in aliquid euident-  
er melius. Respondetur, negando consequentiam.  
Ratio discriminis est, quod in voto obligatio nasci-  
tur ex promissione rei, quæ creditur grata Deo,  
cui promissio facta est; cum autem res subrogata  
sit illi gratior, non fit contra Religionem soluendo  
vnum pro alio. At verò in re præcepta determina-  
tio rei oritur ex voluntate Superioris petentis  
hanc rem in particulari, & non aliam; quæ iam de-  
betur non solum ex ratione generali; quia est ali-  
quid gratum Superiori; sed, quia vult hoc opus in  
particulari, & determinatum, quod per volunta-  
tem determinatam exigit; idē non potest subdi-  
tus mutare vnum pro alio: melior enim est obe-  
dientia, quam victima. Vide alias rationes diffe-  
rentiæ apud Suarez tomo 2. de religion. libr. 6. de  
voto cap. 18. num. 13. quæ omnes applicari possunt  
etiam ad rem debitam ex præcepto Confessa-  
rii, in qua non minis militat, quam in aliis præ-  
ceptis.

95. Sed probabilitatem prioris sententiæ confir-  
mat denuò Diana tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol.  
53. vbi assert pro illa Villalobos in Summ. tom. 1.  
tract. 9. diff. 79. num. 1. qui id probat: quia Con-  
fessarius

Confessarius illud opus præcepit in ordine ad spiritalem eius utilitatem: quare, si ei diceret, se vel le loco illius pœnitentiæ subrogare aliud manifestè vtilius in ratione satisfactionis, & medicinæ; certum est, quoddam consentiret Confessarius: quare ex hac præsumpta voluntate poterit pœnitens commutationem facere. Sed sententiam illam temerariam censet Lullius Turrianus in *selectis*, part. 2. disput. 31. dub. 62. Et quidquid sit de censura, certum est, aduersari communi Theologorum, & fidelium sensui, ut videri potest apud Thomam Sanchez lib. 4. in *Decalog.* cap. 11. num. 36. Reginaldum in *praxi*, tom. 1. lib. 7. cap. 8. num. 85. Henriquez lib. 5. cap. 20. numer. 5. Coninch in *presenti*, disput. 10. dub. 12. num. 13. & alios omnes.

Ratio autem, quam Villalobos adducit, facillè retorqueri potest in præceptis Ecclesiæ, de quibus probaretur eodem argumento, quoddam quilibet posset propria auctoritate rem præceptam commutare sibi in opus aliud manifestè melius. Nam Ecclesiæ præcipit, v. g. ieiunium ad carnis macerationem, vel auditionem Missæ ad cultum Dei: quis autem dubitat, melius esse ad eos fines cilio asperitimo ea die vestiri, vel Eucharistiam sumere? Et tamen nemo dicit, posse ex præsumpta Ecclesiæ voluntate subditum subrogare hæc opera pro illis, quæ præcipiuntur. Quod idem argumentum fieri potest de præceptis diuinis: potuisset enim aliquis eodem modo dicere, quod Communionem ex præcepto diuino in mortis articulo, vel aliâ debitam posset quilibet propria auctoritate commutare in aliquod insigne pietatis opus, ut in statum Religionis, vel in votum castitatis, aut aliud simile, etiam quando res præcepta eiusmodi opera non impediret. Cum ergo Confessarius in eo foro sit verus Superior, & præcipere possit, sicut alij Superiores; non poterit subditus propria auctoritate rem præceptam in alia etiam meliora opera commutare, quando vitumque præstare potest.

Vnde minus admittendum est, quod ut probabile, docuit idem Diana 2. tom. tract. 110. 4. resol. 106. nempe, eum, qui ex deuotione recitabat singulis diebus Officium B. Birginis, si postea habuit pœnitentiam impositam recitandi per annum singulis diebus tertiam partem Coronæ, vel Rosarij eiusdem B. Virginis, potuisse satisfacere huic obligationi recitando officium solitum. Pro quo adducebat Bonacinam in *presenti*, disput. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 4. num. 8. qui tamen id non dicit; sed loquitur in genere, ut ipse Diana fatetur, docens, obligationem pœnitentiæ cessare, non solum per Indulgentiam; verum etiam per remissionem pœnæ alia via obtentam, ut per alia pia opera satisfactoria propria, vel aliena sibi applicata: nam eadem rationes militantes in Indulgentiis, ac in alijs operibus pijs satisfactorijs. Vbi ille Auctor non dicit, subrogati posse vnum opus pro alio, ita ut id, quod subrogatur, fiat satisfactio sacramentalis, & eleuatur ad satisfaciendum ex opere operato virtute Sacramenti; sed solum quod si per alia opera integrè satisfactum est debito pœnæ, iam per cessationem necessitatis liberabitur pœnitens ab implenda pœnitentia. Quæ tamen doctrina in ordine ad praxim inutilis est: quomodo enim constare potest pœnitenti, se iam sufficienter per bona opera satisfecisse toti debito pœnæ, quam debebat?

Denique confirmari potest conclusio posita ex alio exemplo: quando enim Pontifex concedit Indulgentiam plenariam, & alia priuilegia ijs, qui ieiunauerint, & quædam alia pietatis opera fecerint;

certum est, quoddam ijs saltem, qui prædicta opera exercere possunt, non poterunt alia etiam meliora subrogare pro illis, verbi gratia pro ieiunio alias acerbiores pœnitentias aptiores ad macerationem carnis, & ad placandam iram diuinam. Quia, nimirum, Pontifex talia opera determinata exigit, quibus, & non alijs positis concedere vult remissionem pœnæ ex Ecclesiæ thesauro. Cum ergo Confessarius similiter eleuet talia opera determinata, quæ præcipit, ut per virtutem Sacramenti applicetur satisfactio Christi ad eleuandum debitum pœnæ; multò minus poterit pœnitens pro alijs alia subrogare, cum in hoc casu interueniat præceptum, & obligatio, quod in confessione Indulgentiæ non reperitur.

Hoc ergo supposito, difficultas nunc est, an alius saltem Confessarius possit pœnitentiam ab alio impositam commutare. Pro quo suppono primò posse Confessarium secundum declarare, pœnitentiam non obligare, quando erat irrationabilis; vel, si postea casu aliquo reddita sit rationabilis: imò ad hoc declarandum, cum non sit actus iurisdictionis, non requiritur audire confessionem, imò nec potestas Ordinjs; sed vit doctus posset id declarare.

Supponendum secundò, posse Pontificem, Indulgentijs concessis liberare pœnitentem à debito implendi pœnitentias sibi iniunctas, quæ Indulgentiæ, quando, & quantum liberent ab obligatione pœnitentiæ sacramentalis, dicemus disp. 27. vbi de valore Indulgentiarum.

His suppositis, dubitatur primò, an alius Confessarius possit, audita iterum confessione eorumdem peccatorum, commutare, vel etiam minuire pœnitentiam ab alio impositam. Negare aliqui, Dominicus Soto, Viçtor, & alij, quos refert, & sequitur Valquez *questiõ. 94. artic. 2. dub. tertio, numer. 5. & 8.* Eandem tenet Angles *quest. de elauibus*.

Contraria tamen est communis, quam tenent Syluester, Angelus, Nauarrus, & alij plures, quos refert, & sequitur Suarez *disput. 38. sect. 10. num. 4.* & alij Recentiores communiter, atque ipse Valquez fatetur, saltem propter autoritatem esse in praxi probabilem. Probatur, quia idem Confessarius posset postea pœnitentiam à se impositam commutare, quando recordatur eorum peccatorum, vel saltem ijs iterum auditis, ut postea videbimus: ergo & alius Sacerdos id poterit præstare. Probatur consequentia: quia duo Sacerdotes non habent se, sicut superior, & inferior; sed sicut duo Iudices succedentes in eodem tribunali, & munere: quare, sicut secundus Episcopus potest commutare, vel moderari penam impositam à prædecessore: sicut secundus Parochus poterit idem præstare in hoc tribunali; ac per consequens idem poterit secundus Confessarius, etiam si non sit Parochus; dum tamen habeat auctoritatem Parochi. Neque in hoc infert iniuriâ priori Confessario, cum eius locum occupet, & ei succedat.

Dices: Ergo illud primum Sacramentum non manebit integrum, sed mutilum, & imperfectum: nam hæc secunda satisfactio erit pars secundi Sacramenti, in quo propter eadem peccata imponitur: non vero erit pars primi: quia non est imposita ab eodem Confessario: non potest autem idem Sacramentum Pœnitentiæ habere vnam partem ab vno Ministro, & aliam ab alio: ergo prius illud Sacramentum manebit imperfectum, & incompletum absque satisfactioe sacramentali. Respondetur, idem argumentum fieri

fieri posset, quando Pontifex concessa Indulgentia auferret obligationem poenitentiae in illo Sacramento: nam tunc etiam maneret Sacramentum incompletum. Dicendum ergo est, tunc esse inconueniens, quod Sacramentum maneat absque hac integritate, & complemento, quando ex eius ablatione deest aliquid requisitum ad integritatem iudicii: non deest autem aliquid tale, quando ex remissione poenae facta a Principe aufertur obligatio solvendi poenam impositam per sententiam iudicis, prout fit per concessionem illam Indulgentiae. Similiter non deest aliquid necessarium ad perfectionem iudicii, quando ex commutatione, aut diminutione sententiae facta ab eodem Iudice, vel ab eius successore in eodem tribunal, & foro, non ponitur exequutio sententiae antea prolatae, vt contingit in hoc casu.

103. Petes, an ad tollendam obligationem prioris poenitentiae, requiratur, quod Confessarius velit eam commutare, & tollere; an sufficiat audire eadem peccata, & imponere poenitentiam pro illis, absque eo, quod fecit, impositam fuisse aliam poenitentiam pro eisdem, ad hoc, vt poenitens possit accipere hanc secundam poenitentiam, & relinquere priorem? Aliqui enim ideò probant nostram conclusionem: quia, nimirum, poenitens potest iterum in iudicium adducere illa peccata, ac si nunquam fuissent adducta, & adherere sententiae posteriori. Existimo tamen, hoc non sufficere; sed requiri reuocationem, seu commutationem prioris sententiae: nam si hoc esset, posset etiam poenitens relicta posteriori poenitentia, adherere priori, quae non dum reuocata est per secundam: cum ergo praecipuum prioris Confessarii validum fuerit, manebit in suo robore, nisi in eodem tribunal reuocetur; ad quod oportet manifestari secundo Confessario, & quod ipse habeat eam intentionem. Imò hoc etià credo verum, licet secunda confessio fieret cum eodem primo Confessario: hic enim, si non recordaretur prioris Confessionis, & poenitentiae, non haberet intentionem eam reuocandi, neque auferret obligationem ex illa relicta propter eandem rationem.

104. Hinc oritur secundum dubium, an possit inferior Sacerdos hoc ipsum circa poenitentiam impositam a Superiore Et quidem, si peccata sint talia, à quibus secundus Sacerdos potuisset absolueri ab initio; communiter conceditur, posse: quia, quoad ea peccata, uterque est Iudex aequalis. Si autem peccata erant reservata Superiori, adhuc dicunt aliqui posse: quia ablata reservatione per primam absolutionem, iam illa peccata non sunt ulterius reservata. Ita Vasquez *ubi supra*, num. 9. & indicat Henriquez lib. 5. de Sacram. cap. 22. num. 1. Nauarr. adductus à Suar. *ubi supra*, n. 13.

105. Verius tamen videtur, quod alij communiter doceant, quos affert, & sequitur idem Suarez *ibi*, n. 14. non posse in eo casu inferiorem auferre poenitentiam a Superiore impositam, per se loquendo: quia tunc inferior non habet idem tribunal, nec in eo succedit Superiori, atque adeò non potest mutare sententiam Superioris; sicut posset ipsemet Superior: nam, licet, quoad absolutionem secundam eorumdem peccatorum, iam inferior habeat plenam potestatem; quia iam non sunt reservata; quoad primam tamen sententiam circa illa prolata non habet potestatem: quia quoad primam sententiam pertinere debent ad tribunal superius: non ergo potest inferior reformare, vel moderari sententiam non prolatam à se, sed à Iudice superiori per potestatem superiorem. Confirmatur: quia inferior non potest mutare praecipuum Superioris, per se loquendo: cum ergo poenitentia illa sit imposita ex pra-

P. Ioan. de Lugo de Poenitentia.

cepto Superioris, vt Superior est; non poterit per potestatem inferiorem tolli illud praecipuum. Ratio à priori est: quia in tantum secundus Sacerdos potest mutare poenitentiam priorem, in quantum re-ducit totam causam ad eum statum, ac si nunquam iudicata esset in eo tribunal, atque adeò reuocat sententiam priorem quoad illam partem, & profert aliam sententiam, perinde ac si esset prima: casu autem peccati reservati non potest inferior velle iudicare hanc causam, perinde ac si hæc esset prima cognitio, & sententia: quia ad primam cognitionem non habet auctoritatem, sed solum ad absolendum, & puniendum secundò ad maiorem securitatem poenitentis: ergo non potest reuocare primam sententiam; sed debet eam supponere, vt procedat ad secundam de secunda absolutione, & punitione.

106. Obiicunt: quia postquam votum reservatum commutatum est à Superiore in materiam aliam non reservatam, tunc inferior poterit hanc secundam materiam commutare in aliam, sicut posset vota non reservata: ergo, postquam Superior absoluit à peccato reservato, poterit inferior poenitentiam iniunctam commutare; quia poenitentia non est materia reservata, sed eiusdem rationis cum aliis poenitentis Respondet bene Suarez, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam: quia, quando commutatur votum castitatis, v. g. in ieiunia, Superior non imponit praecipuum, nec profert sententiam, sed solum praestat consensum, vt subditus soluat vnum pro alio, perinde ac si sola ieiunia voluisset: cum autem votum ieiunii non sit reservatum, non mirum, quod inferior possit illud iam commutare: at verò in nostro casu obligatio ad poenitentiam provenit ex praecipuo, & sententia Superioris, quae sententia ex natura sua non potest reuocari, aut mutari, nisi per eundem, aut alium succedentem in eodem gradu, & officio, vt *si supra* probatum est.

Dubitat tertio, an, & quando potest secundus Sacerdos mutare poenitentiam priorem ab alio impositam, debeat ad hoc audire peccata, pro quibus fuit imposita. Negant plures. Nauarr. Tolet. Eman. Sá, Rodrig. Vivald. & alij plures, quos congerit, & sequitur Diana *ubi supra*, dicta res. § 4. qui hanc dicit esse praxim, & vnum omnium Confessariorum.

Contraria sententia verior est, quam tenent Suar. & Vasq. *ubi supra*, Coninch *in praesenti*, Reginald Fagundez Molfelius, & alij, quos affert idem Diana *ibid.* & quidem ex Auctoribus, qui pro prima sententia afferuntur, multi non eam docent vniuersaliter; sed solum quando subest aliqua gravis, & rationabilis causa.

108. Ratione probatur nostra conclusio: quia Sacerdos non potest sententiam proferre, aut exercere iurisdictionem in poenitentem, nisi in hoc iudicio; sed non exercetur iudicium, nisi ipse se accuset, & deferat peccata sua: ergo non auditis peccatis, non potest pro illis poenitentiam imponere; alioquin posset etiam pro peccatis confessis, & pro nunquam confessis poenitentiam sacramentalem imponere, quod dici non potest; quia causa non cognita, non potest sententia proferri, nec prior sententia mutari. Confirmatur primò: quia Sacerdos secundus (vt diximus) eatenus potest reuocare, vel mutare priorem sententiam, quatenus cognoscit in eodem tribunal de eadem causa, perinde ac si nunquam fuisset iudicata; hoc autem fieri potest, nisi iterum audiat eadem peccata. Confirmatur secundò: quia poenitentia, quam secundus Confessarius imponit pro prioribus peccatis, est sacramentalis: ergo est pars Sacramenti. Interrogo itaque, cuius Sacramenti? Non huius secundi: quia non potest esse pars huius Sacramenti ea satisfactio, quae non imponitur

AAA

pro

pro peccatis confessis in hoc Sacramento, & quorū non datur absolutio: nam satisfactio sequitur confessionem, & absolutionem. Sed neque potest esse pars prioris Sacramenti: quia non est ex præcepto primi Confessarii, qui fuit eius minister, sed ex præcepto secundæ ergo non est pars illius Sacramenti.

109.

Quid, si ea  
de fuisse præ-  
sertim pecca-  
ta confessi  
cognoscantur.

Infero primò, sententiam contrariam stando in ratione, parum, aut nihil habere probabilis; quare Pater Vasq. n. 7. dixit, nihil habere probabilitatis. Caterum, attendita multitudinem Doctorum, qui eam tradiderunt, non audeo negare, illam esse in praxi probabilem per principia extrinseca; præsertim, si secundus Confessarius ex confessione aliorum peccatorum, & ex statu pœnitentis, & ipsius testimonio habeat aliquam notitiam confusam, quod plus, minusve, eadem ferè fuerunt peccata præterita confessionis. Ita limita Fagundes de præceptis Ecclesiæ, præcept. 2. lib. 9. c. 4. num. 22. in fine. Et ratio esse potest: quia cum hac notitia iam possint fieri materia huius secundæ confessionis, & absolutio potest super illa cadere, ac per consequens impositio pœnitentiæ novæ. Obligatio autem procurandi notitiam magis distinctam, non videtur fortasse procedere in hoc casu, quia in ordine ad satisfactionem convenientem imponendam, videtur sufficiens illa notitia confusa: nam de facto, quando Sacerdos imponit pœnitentiam, non retinet, nisi eiusmodi notitiam confusam peccatorum. Aliunde verò illa peccata supponuntur iam sufficienter explicata distinctè in alia confessione. Quæ ratio habere posset maiorem aliquam apparentiam ad illam sententiam sustinendam.

110.

An extra  
confessionem.

Inféro secundò, minus posse concedi, quod aliqui addunt, scilicet, posse secundum Confessarium, etiam extra confessionem, mutare pœnitentiam ab alio impositam. Hoc tamen omni specie probabilitatis caret: quia Sacerdos non est index, nec habet ullam potestatem, nisi dum est in hoc tribunali exercens illud munus in pœnitentem: non ergo potest procedere ex potestate clauum ille actus extra confessionem factus, ac per consequens non potest esse actus iudicialis, nec validus. Aliud est de commutatione voti, & absolutione à censura, quæ ab aliquibus potest etiam extra confessionem fieri: nam hæc non sunt actiones sacramentales, nec pertinent ad hoc iudicium; sed procedunt ex alia potestate, quam Pontifex habet; & ipse potest communicare illam, prout voluerit; scilicet, ita ut possit exerceri intra, vel etiam extra Sacramentum: potestas autem circa pœnitentiam sacramentalem imponendam pertinet omnino ad iudicium sacramentale, nec potest extra illud ab aliquo exerceri.

111.

An idem Con-  
fessarius ex-  
tra confes-  
sionem possit.

Hinc oritur quantum dubium an idem Confessarius possit postea extra confessionem pœnitentiam à se impositam mutare, vel minuire. Negant communiter posse. Ita Suarez illa sess. 10. n. 3. Coninch disp. 1. n. 102. & alij. Addunt tamen, posse eundem Confessarium intra breue tempus id facere: quia adhuc censetur durare iudicium, sicut potest propter eandem rationem imponere pœnitentiam etiam post datam absolutionem. Et quidem certum videtur, non posse omnino fieri extra Sacramentum: quia actio illa sacramentalis est, ut diximus: quare, quocumque tempore fiat, pertinet ad idem Sacramentum, & per consequens fit intra illud.

An post  
quodlibet  
tempus.

Difficultas tamen est, an possit fieri etiam post quodlibet tempus; & tunc pertinere adhuc ad idem Sacramentum? Pater Suarez ubi supra dicit, posse fieri intra tempus adeò breue, ut moraliter possit idem iudicium existimari. Alij determinant fractionem mediæ horæ. Alij spatium vnius, vel alterius diei. Ita Sotus in 4. distinct. 20. q. 2. art. 3. & Coninch

ubi supra. Alij, triduum, vel etiam hebdomadam. Ita Henriquez lib. 5. de pœnit. c. 21. in fine, citans Ledesnam in margine, cui consentiunt Vivaldus, & Valerius apud Dianam ubi supra. Idem Henriquez lib. 7. de Indulg. c. 17. §. 1. dicit, posse intra octo circiter dies. Alij denique dicunt, etiam post longum tempus posse eundem Confessarium mutare pœnitentiam à se impositam. Ita P. Ioann. de Salas in Manuscriptis huius materia. Valquez etiam illa dub. 3. n. 2. solum videtur exigere, quod Confessarius recorderetur confessionis, vel status pœnitentis, ad hoc, ut possit mutare pœnitentiam.

Ego in primis existimo, non posse eundem Confessarium mutare pœnitentiam, nisi actu recorderetur peccatorum, pro quibus illam imposuit, saltem aliqua memoria confusa, qualis sufficit ad imponendam satisfactionem: nam ille est actus iudicialis, qui fit à Iudice, ut index est: ergo debet procedere cum notitia causæ, quæ iudici debet continere errorem intolerabilem. Deinde existimo, non requiri novam confessionem; sed, quod hæc actio referatur ad confessionem, & absolutionem præteritam, & cum illa componat vnum integrum iudicium: certum enim est in hoc Sacramento partes temporales distantes posse vniri moraliter ad integrandum vnum Sacramentum: nam absolutio hodierna potest vniri cum confessione facta ante octo dies: ergo similiter additio, vel limitatio sententiæ poterit vniri cum confessione, & sententiæ præterita. Denique adeo, me non inuenire sufficientem rationem, cur additio, vel limitatio illa post longum tempus facta non possit vniri moraliter sufficienter cum partibus præcedentibus ad faciendum vnum integrum iudicium: nam ipsa satisfactio impleta post longum tempus integrat vnum iudicium cum partibus præcedentibus, ut constat: ergo, quando sit satisfactio non est posita, adhuc intelligitur iudicium illud incompletum, & quasi suspensum; & adhuc Index habet ius ad virgendum pro executione sententiæ: ergo adhuc poterit ex consensu pœnitentis mutare, vel diminuire priorem sententiā, ut melius possit executioni mandari. Confirmatur: quia, si Confessarius imponens pœnitentiam, expresse retinet sibi facultatem moderandi, vel mutandi postea illam: non videtur dubitandum, quin possit hoc facere: ergo præsumi potest, quod semper virtualiter habeat aliam intentionem relinquendi sibi talem facultatem: semper enim in eadem se obligare, quam minimum possit, & retinere totam potestatem quā potest.

Dices: ergo poterit Sacerdos postea pro libito augere pœnitentiā, quam prius imposuit: adhuc enim censetur illa actio pertinere ad illud iudicium præteritum. & semper præsumitur retinere sibi facultatem id faciendi. Respondetur. Hoc argumentum probaret, quod nec etiam post horā possit mutare pœnitentiam: quia tunc etiam non potest augere illam inuito pœnitente. Est ergo differentia inter utramque potestatem: quia sententiā semel legitime prolata, & accepta videtur transire in rem iudicatam, quasi per modum cōtractus: ita ut non possit mutari, nisi ex consensu vtriusque, scilicet, & Iudicis, & subditi: non ergo potest Confessarius pœnitentiā semel impositā addere aliquod grauiamen non consentiente pœnitente: ipso autem consentiente, poterit Iudex mutare, vel alterare, quando sententiā nondum est executioni mandata. Hinc est, si Confessarius non imponat pœnitentiam ante absolutionem, posse ipsum postea illam imponere: quia visus est sibi illam potestatem retinere, & verè nondum protulit integram sententiā: semel autē imposita pœnitentia post absolutionem, & acceptatā à pœnitente, non poterit Sacerdos addere, & pœnitentia inuito

inuato, propter rationem traditam, quia sententia prolata, & acceptata, non potest alterari sine consensu utriusque partis in iis, quæ sunt in eorum præiudicium, aut grauantem.

114. Quid, si pœnitentia fuit præseruatiua.  
Ultimò dubitari solet, an quādo secundus Confessarius potest commutare, vel minuire pœnitentiā ab alio impositam, possit id facere, licet pœnitentia illa fuerit imposita, vt præseruatiua à primo Confessario Negat Zerola in *praxi pœnit.* c. 15. q. 1. Alij affirmant, quando Confessarius secundus iusta de causa pœnitentiam illam præseruatiuā cōmittat in aliam præseruatiuā. Ita Bonac. in *præfenti d.* 1. 3. q. 5. f. 3. punct. m. 5. & Diana 2. tom. tr. de *Sacram. res.* fol. 137.

Distingendum est de pœnitentia præseruatiua: aliqua enim potest esse, quam Confessarius iudicauit, cognito statu pœnitentis, ita necessariam ad eius peccata vitanda, vt pœnitens ipse ex se obligatus esset ad illam medicinam sibi adhibendam; qualiter potest aliquando teneri ad vtendū carnis maceratione, qui grauissimis carnis tentationibus vexatur cum periculo proximo consentiendi. Et huiusmodi quidem pœnitentiam non potest secundus Confessarius licite auferre, cum neque ipse pœnitens, etiam ablata à Confessario, posset relinquere. Dixi, licet: quia, si secundus Confessarius, auditis eisdem peccatis, vt diximus, pœnitentiam illam auferret; valida esset ablato quoad hoc, vt iam pœnitens non teneretur ex præcepto Confessarii illam exequi: sed solum ex præcepto naturali, quo obligatur ad vtendum mediis, quæ necessaria sunt ad vitandum peccatū mortale: ita vt de cætero pœnitens, omisa illa pœnitentia, peccaret quidem contra hanc obligationem naturalem; non tamen contra præceptum positium Confessarii, nec contra reuerentiā Sacramenti, aut virtutem religionis: quia, sicut primus Confessarius, licet peccasset non admonendo pœnitentem de illa obligatione; valide tamen optaretur, non adiciendo præceptum positium circa illam pœnitentiam; ita secundus audita iterum confessione, posset eodem modo relinquere pœnitentem liberum à vinculo illo præcepti positui. Cæterum, sicut peccaret graniter Confessarius dispensando in voto, vel illud commutando, quando præmit ablatō voto, facilius pœnitentem lapsurum in peccata carnis, v. g. qui prius voti freno coerceretur: ita in casu nostro peccaret Confessarius secundus auferendo vinculum à primo Confessario impositum, quādo timeret, eo ablato, pœnitentem relicturnum remedium illud necessarium sibi ad vitandos lapsus graues.

115.

Aliquando verò pœnitentia præseruatiua, imposita à primo Confessario, est quidē utilis, non tamē ita necessaria ad vitanda peccata futura pœnitentis: & tunc secundus Confessarius, audita priori confessione, vt diximus, poterit quidē valide tollere obligationem ad illam pœnitentiam, commutando in aliam, sicut potuisset primus in prima confessione. Poterit etiam licite in iis circumstantiis, in quibus primus Confessarius potuisset eam pœnitentiam nō imponere: sæpē enim tenetur Confessarius ad imponendas pœnitentias medicinales, & præseruatiuas, vt constat ex *Trid. sess. 14. c. 8.* quia, cum sit Medicus, debet medicinam conuenientem applicare. Si ergo in his circumstantiis indicat secundus Confessarius, attenta, vel fragilitate pœnitentis, qui pœnitentiam non implebit, vel eius emendatione, vel alia de causa, iā non opus esse, quōd talis medicina ei ex obligatione iniungatur; poterit in aliam pœnitentiam commutare: quia, quōd à primo fuerit, vt præseruatiua, imposita; non addit nouam obligationem, sed solum motiū ex parte Confessarii ad imponendam illam: obligatio autē pœnitentis tota

P. Ioan. de Lugo de *Pœnitentia.*

oritur ex eo, quōd sibi imposita est à Iudice in pœnam peccati: Confessarius enim, licet debeat curare pœnitentem, vt Medicus; non tamen potest, vt Medicus, illum obligare; sed solum, vt Iudex. Debet itaque ipse, vt medicus, ad remedium pœnitentis præcipere, vt Iudex, in pœnam illa opē, quæ simul sint medicina: pœnitens tamen, ablato præcepto Iudicis, vt iudicis, non tenetur obedire sub mortali in iis, quæ aliās non sunt ei necessaria ad salutem, vt dicemus *disp. 27. de Indulgentiis*, agentes de eorum efficacia ad liberandum pœnitentem ab obligatione circa pœnitentias impositas.

## DISPUTATIO XXVI.

## De Suffragiis.

SECT. I. *An, & quomodo possint fideles sese inuicem suffragiis iuuare.*

SECT. II. *De iis, quibus applicari possunt suffragia; & de conditionibus requisitis ex parte ipsorum.*

SECT. III. *De iis, qui suffragia afferre possunt, & quæ conditiones in iis requirantur.*



IXIMVS de satisfactione, qua aliquis ex opere operātis potest de cōdigno diluere debitum pœnæ temporalis, quod habet, atque etiā de satisfactione Sacramentali, qua per Sacerdotis clauēs, & virtute Sacramenti potest ex opere operato liberari ab eodem reatu pœnæ. His autē affinis valdē est modus, quo fideles sese inuicē iuuant ad solutionē huius debiti, quatenus vnus satisfacit pro alio viuo, vel defuncto, quæ dicuntur suffragia, de quibus dicemus *hac disp.* postea verò *disp. seq.* dicemus de alio modo, quo diluitur hoc debitum ex opere operato per satisfactiones Christi, & Sacrorum, quæ nobis applicantur per Indulgentias ab habēte clauēs thesauri Ecclesiæ, in quo illæ reseruantur.

## SECTIO I.

*An, & quomodo possint fideles sese inuicem suffragiis iuuare?*

Certum est ex fide, dati aliquo modo hanc suffragiorum communicationem, & habetur in Symbolo, in illis verbis: *Sanctorum communionem.* Quod in genere loquendo, constat ex multis Scripturæ locis, quæ congerit Suarez *disp. 48. sect. 1.* quæ docent, alios ab aliis, orationibus saltem, adiuuari. Quōd autem possint etiam adiuuare sese ad satisfaciendum pro debito pœnæ temporalis, ex consuetudine, & sensu Ecclesiæ, & ex consensu Theologorum, ac PP. testimoniis probat idem Suar. *ibi.*

Aliqui moderni dixerunt, totum hoc fieri, quatenus alij aliis impetrant remissionem pœnæ; atque idēd, illum, qui pro alio satisfacit, non priuari satisfactione ex suo ieiunio, v. g. sibi proveniente; sed satisfacere propriē pro se, & impetrare remissionem pœnæ pro alio, pro quo illud opus offert. Hæc sententia aduersari videtur aliis omnibus Theologis, quos latē congerit Suar. *sect. 2. n. 4.* & Catechismo Pij V. vbi in *fine de Sacram. Pœnitent.* Catechism; n. 61. sic habetur: *In eo summa Dei bonitas, & clemētia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humana imbecillitati hoc condonauit, vt vnus pro alio possit satisfacere.* Et *infra* hanc appellat solutionem his verbis: *Qui diuina gratia præ-*

1.  
Non est sola  
impetratio.

A A a 2. dist